

requiritur voluntas delegati, & exercitium iudicariæ potestatis in delegato. Clarius tamen explicari potest regula, quod locum habeat in supplendo aliquo defectu, aut solemnitate iuris humani, non autem Diuini.

Quæres: Si ratihabitio futura non sufficit ad valorem Sacramenti, an saltē præsens sufficiat, id est, si sufficiat ante absolutionem accedat tacitus consensus superioris, quia scilicet videt & tacitè consentit. Nauarrus putat sufficere.

Q V A E S T I O I X.

*Qui confessarij habeant licentiam absoluendi
quoslibet pœnitentes?*

¹ Prima Conclusio. Fratres Mendicantes, & quidam alij Religiosi habent à Pontifice priuilegium audiendi confessiones quorumcumque fidelium ad se venientium, ut patet in *Extrauag. Ioannis 22.* quæ incipit: *vas electionis, de hereticis*, vbi dicit: Fratres Mendicantes habere generalem licentiam audiendi confessiones. Et damnat sententiam Ioannis de Poliaco, qui Parisiis docebat Confessionem factam Mendicatibus sufficere quidem ad iustificationem, non tamen ad implendum pœceptum Ecclesiæ, quo iubemur quotannis confiteri proprio Sacerdoti, aut alteri cum licentia proprij. Hinc inferebat Parochianos, qui semel confessi essent Mendicantibus, debere eadem peccata iterum confiteri suo Parocho, vel alteri cum ipsius licentia, iuxta cap. *Omnis utriusque.* Quæ sententia meritò damnata est, quia per proprium Sacerdotem non tantum intelligitur Parochus, sed etiam Episcopus & Pontifex. Ergo qui cum licentia vel Parochi, vel Episcopi, vel Pontificis confitetur alicui, satisfacit præcepto Ecclesiæ. At Mendicantes habent licentiam à Pontifice. Ergo, qui eis confitetur, satisfacit.

² Secunda Conclusio. Hoc priuilegium fuit nonnihil restrictum à Martino V. in quadam Extrauagante, quæ non habetur in Corpore iuris, sed refertur ab Adriano q.5. de Confessione, & à multis aliis. Voluit autem Martinus V. vt Parochiani, tametsi toto anno possent confiteri Mendicantibus:

788 C A P . XXXVIII . DE SACRAMENTIS
cantibus : tamen circa Pascha confiterentur proprio Pa-
rocho , non quidem ea peccata , quæ semel confessi essent ,
sed si qua alia interea commisissent.

3 Tertia Conclusio . Postea Paulus III . concessit idem
privilegium Patribus Societatis cum maiori potestate ,
vt scilicet possint audire confessiones omnium fidelium
ad se venientium ; & qui ipsis confessi sunt , non teneantur
in Paschate confiteri suo Parocho , licet teneantur in
sua Parochia semel circa Pascha communicare . Iisdem
concessit potestatem absoluendi à quibuscumque pecca-
tis , etiam Sedi Apostolicæ reseruatis , & à quibuscumque
sententiis , censuris , & poenis Ecclesiasticis ex illis resul-
tantibus , iis exceptis , quæ in Bulla Cœnæ Domini conti-
nentur .

Q V A E S T I O X .

Quæ scientia requiratur in Confessario ?

1 Prima Conclusio . Ut sit perfectus Confessarius , de-
bet esse Theologus & Canonista , & nosse decreta Sy-
nodalia ad confessionem pertinentia . Ut autem sit suffi-
ciens , debet primo scire distinguere inter mortalia & ve-
nialia . Secundo , nosse circumstantias peccatorum mutan-
tes speciem . Tertio , debet aliquid de restitutione Bonorum & Famæ scire . Quarto , excommunications , visitatio-
nes & alias censuras . Quinto , casus reseruatos . Sexto , vi-
tatiores contractus , præcipue matrimonij . Septimo , debet
nosse modum interrogandi poenitentes . Octavo , & quæ-
dam pertinentia ad varios hominum status .

Quæres : an debit scire casus irregularitatis ? Caieta-
nus negat , quia absolutio impendi potest irregulari , cùm
tamen excommunicato aut interdicto non posset . Nauar-
rus hoc limitat , quia aliquando est necesse scire irregulari-
tatem , præsertim cùm quis audit confessiones Clerico-
rum & Sacerdotum .

2 Secunda Conclusio . Non necesse est ut confessarius
hæc omnia sciat perfectè , sed mediocriter , ita ut sciat
prudenter dubitare , & recurrere statim ad suos libros ,
vel ad alios se doctiores . Addunt aliqui in quibusdam ca-
sibus

ibus excusari posse ignorantiam confessarij. *Primo*, quando in articulo mortis non est alius sacerdos, quam ignarus. *Secundo*, in confessione venalium. *Tertio*, quando pœnitens est doctus & bonæ conscientiæ, qui possit confessarium iuuare.

3 Quæres: an maior scientia requiratur in eo qui propria voluntate audit confessiones, quam in eo, qui voluntate superioris? Affirmat Antonin. negat Nauarrus, quia scientia illa de qua dixi, ita necessaria est omnibus, ut minor non sufficiat, ne illi quidem, qui ex obedientia suscipit officium. Hoc solùm interesse potest, quod, qui alias timidus esset, neque auderet suscipere hoc ministerium, excusari possit auctoritate superioris, & fidere potius illius, quam suo iudicio.

4 Quæres *secundò*, an semper æqualis scientia requiratur in omnibus. Resp. hoc æstimandum est ex locis & personis, quarum confessiones audientur. Audientes enim Clericorum, Monialium, mercatorum & Principum debent multa scire, quæ ad illorum officium pertinent, neque locum habent apud pueros, rusticos & ciues.

5 Quæres *tertiò*, an confessio facta ignorantis sit inualida. Aliqui affirmant. Suarez *disput. 28. secl. 2.* negat. Resp. *Primo*, si pœnitens est excommunicatus, aut si habet peccata reservata, aut si non integrè confiteretur, aut si non est sufficierter dispositus, & hæc omnia ignorentur à confessario, tunc absolutio ipsius nulla est. *Secundo*, si nihil horum est, videtur absolutio esse valida, licet confessarius peccet absoluendo, quia exponit se periculo sacrilegij. Cùm enim nesciat requisita ad validam absolutionem, semper in periculo est ne inualide absoluat.

QVÆSTIO XI.

De approbatione Confessarij?

1 *C*oncilium Tridentin. *sess. 23. c. 15.* requirit approbationem Confessarij, de qua tria quæri possunt. *Primo*, quomodo fiat. *Secundò*, an ab uno Episcopo facta, valeat etiam pro alia dioceſi. *Tertio*, an semel facta reuocari possit.

2 Prima Conclusio. Approbatio Confessarij sit dupli-
ter. *Primo*, ipso iure, *Secundo*, ab Episcopo. Parochi cen-
sentur approbari ipso iure ratione beneficij Parochialis.
Cateri, ut sacerdotes & Religiosi debent ab
Episcopo approbari vel præmisso examine, vel solo mutu,
ut Episcopo placuerit.

Quæres: an hæc approbatio posterior necessaria sit re-
spectu omnium poenitentium. Nauar. t.4. n.7. dicit solùm
esse necessariam ad audiendas confessiones secularium &
laicorum, non autem Religiosorum, ut colligitur ex Trid.
loc.cit. Vnde infert Religiosos, qui habent privilegium eli-
gendi confessarium posse eligere non approbatum, sine sa-
cularem, siue Religiosum.

3 Secunda Conclusio. Approbatio ab Episcopo facta
tantum valet in dioecesi illius Episcopi, ut patet *ex Extraug.* Bonif. VII. quæ incipit: *Super Cathedram. De Se-*
pulturis. Vbi decernit ut Mendicantes, qui præsentantur
Episcopo, tantum censeantur approbati ad unam dioecesim.
Approbatio autem quæ ipso iure fit, videtur etiam valere
extra dioecesim, quia hoc ipso, quod iure fit (communi)
non dependet ab Episcopo, ac proinde non limitatur ad
dioecesim Episc. Hinc patet alind esse approbationem, aliud
verò iurisdictionem. Nam Religiosi accipiunt approbationem
ab Episcopo, iurisdictionem verò ex commissione à
Pontifice. Similiter quiuis Parochus habet approbationem
respectu totius dioecesis, & etiam extra dioecesim,
non tamen habet iurisdictionem, nisi in suam Parochiam.

4 Tertia Conclusio. Approbatio ab Episcopo facta po-
test ab Episcopo reuocari: si tamen non reuocatur, non
finitur morte Episcopi (commissio quidem finitur) ut
patet *ex Extraug. Inter cunctas. De priuilegiis.* Approbatio
verò, quæ ipso iure fit, non potest reuocari ab Episcopo,
nisi quando Parochi, qui hoc modo approbati sunt, ob de-
licta aut ignorantiam suspenderentur ab ordinario, vel ali-
quis eis coadiutor adiungeretur & assignaretur.

Nota, dubitari posse an approbatio Religiosorum facta
ab Episcopo possit reuocari à successore Episcopi. Multi
negant. Vide Henr. lib.3.c.6.n.5. & 6. Ius enim posituum
cauit ne reuocetur.

QVÆSTIO XII.

De obligatione Confessarij.

¹ **Q**varitur primo, an Confessarius teneatur admonere pœnitentem, quem fecit aliquod peccatum in confessione inculpabiliter omittere. Negat Medina. Ratio est, quia aut illud esset necessarium ob integritatem confessionis, aut ob impetrandam veniam illius peccati. Non primum, quia illa dicitur integra confessio, quæ sit ex sufficienti examine. Non enim pœnitens ad plura tenetur. Nec secundum, quia pœnitens non tantum consequitur veniam peccatorum quæ confitetur, sed etiam eorum, quæ oblitus est, modò obliuio non sit culpabilis. Hanc tamen limitat sententiam Medina, nisi peccatum illud sit in detrimentum proximi, cuiusmodi est peccatum iniustitiae, detractionis. Tunc enim tenetur eum admonere, ne proximus damnum patiatur.

² Prima Conclusio. Confessarius in proposito casu tenetur monere pœnitentem, non quidem ex eo capite, ut confessio sit integra, vel ut pœnitens legitimè absoluatur, ut bene probat Medina; sed ex alio capite, quia debet fideliter exercere officium iudicis. Non autem satis fideliter ageret, si sciret aliquod restare peccatum, quod in iudicium non venisset. Mel. Can. 5. part. Rel. Anton. 3. p. t. 17. §. 2.

³ Secunda Conclusio. Cum Sacerdos ex modo confundi, & aliis circumstantiis cognoscit pœnitentem præmisso sufficiens examen, non debet quicquam interroga-re, etiamsi putet ex sua interrogacione peccatum aliquod manifestaturum, cuius tamen ipse Confessarius in particu-lari non habet evidentiam. Ita Dom. Sotus d. 18. q. 2. art. 4. Ratio est, quia Confessarij non est examinare pœnitentem, sed absoluere, nisi forte in defectu, quando pœnitens aut negligens, aut ignorans est. Et potius curandum est hortari ad contritionem, quam multa in tali casu interro-gare. Et hoc intelligas, quando pœnitens nouit necessaria ad Confessionem. Si autem quis rusticus, aut ignorans omittat aliquid necessarium in confessione, etiam præmisso suf-

792 C A P . XXXVIII . D E S A C R A M E N T I S
ficiente examine secundum eius possibilitatem , tenetur
Sacerdos interrogare vel numerum , vel speciem peccato-
rum . Et quamvis aliqui existiment melius esse in praxi , ut
peracta iam confessione ex parte poenitentis incipiat con-
fessarius eum interrogare , ne perturbetur poenitens . Alij
tamen putant , quod melius est , ut statim quando videtur
poenitens in aliquo errare , interrogetur ; quia fieri potest ,
ut Sacerdos postea alicuius obliuiscatur , quod tamen ne-
cessariò explicandum erit .

4 Tertia Conclusio : Confessarius non debet instituere
longas & molestas interrogationes , sed ab unoquoque
sunt ea interroganda , quae secundum statum eius viden-
tur ei conuenire . Ut si quis est v. g. artifex , non sunt in-
terrogandæ omnes fraudes , quæ committi solent in arte .
Satis est in genere interrogare , an aliquam fraudem vel
iniustitiam in arte commiserit . Hac enim interrogatione
potest sufficienter attendere , an commiserit . Ne doce-
atur fraudes quas nescit .

5 Quarta Conclusio : Quando rustici sunt poenitentes ,
& reuera accedunt ad confessionem sine debito examine ,
quia difficulter instrui possunt , quomodo debeant se ex-
aminare , melius est , quando temporis angustia non impe-
dit , eos interrogare per singula , quam dimittere eo fine ,
ut seipso examinent , quia vix possunt se examinare , & in-
terrogationibus confessarij maximè iuuantur .

Q V A S T I O X I I I .

*An confessarius teneatur monere poenitentem quando bona
fide est confessus , & post confessarius intelligi confes-
sionem vel etiam absolutionem esse nullam , vel defectu iu-
risdictionis , vel ratione casus reservati ?*

1 **P**rima sententia est Ioan. Med. & Dom. Sotii , confes-
sarium teneri poenitentem monere de illo defectu .
Ratio , quia facta est transgressio contra præceptum con-
fessionis . Ergo Sacerdos , qui dedit causam transgressionis ,
debet adhibere remedium , alioqui imputabitur illi trans-
gressio .

gressio. Sed nullum videtur remedium esse , quām monere pœnitentem , vt rursus confiteatur , eō quod prior confessio non valuerit. Ergo confessarius ad hoc tenetur. *Secundo* , quia debet resarcire spirituale damnum proximi , quod sua causa , etiam bona fide , secutum fuerit. Hoc patet in simili casu , quia si quis alium baptizaret , & ob aliquem defectum inualidus esset baptismus , tenetur postea monere baptizatum , ne patiatur damnum animæ.

Secunda Sententia est Antonini , Sylvest. & Nauarr. cap. 26. num. 14. qui afferunt duo. *Primo* , confessarium teneri monere pœnitentem , quando hoc sine scandalō , aut damnō confessarii fieri potest. *Secondo* , quando sequuturum est damnum aliquod aut scandalum , debere sacerdotem secretō petere licentiam absoluendi à casu reseruato , aut etiam ab omnibus peccatis , si antea cùm absolueret non habuerit iurisdictionem , & obtenta hac licentia debere pœnitentem in absentia absoluere ; & , secundūm Nauarum , expectare tempus in quo probabile sit pœnitentem esse contritum.

2 Prima Conclusio : Si loquamur de excommunicatio ne tantū , à qua confessarius non potuit absoluere ob defectum potestatis , tenetur , quantum potest , si non velit admonere pœnitentem , petere licentiam absoluendi ab excommunicatione , & ipsum etiam absentem absoluere : neque debet expectare tempus in quo pœnitens habeat contritionem. *Prior* pars patet , quia plurimum refert absoluere pœnitentem ab excommunicatione reseruata , ratione cuius , secundūm multorum sententiam , etiamsi sit ignorata , impediretur effectus confessionis sequentis ; quia ex multorum sententia excommunicatio facit pœnitentein incapacem absolutionis , nisi prius ab ipsa absoluatur ab habente facultatem. *Posterior* patet , quia absolutio excommunicationis potest conferri sine confessione peccati , ac proinde absenti conferri potest ; imò etiam inuito & in peccato mortali existente , quia ad hoc sufficit iurisdictionis tantū.

3 Secunda Conclusio : Si loquamur de absolutione à peccatis , illa non potest conferri in absentia. Probatur , quia esset manifestum periculum sacrilegij. Non enim

794 C A P . XXXVIII . DE SACRA MENTIS
posset scire confessarius , an poenitens iterum mortaliter
peccasset post factam confessionem . Quod si iterum pec-
casset , non posset absoluī , nisi hoc peccatum simul con-
fiteretur .

4 Tertia Conclusio : Quando nullum sequitur scand-
alum , aut damnum confessarij , tenetur manifestare pœni-
tenti defectum absolutionis , vt sibi quærat remedium ,
alioqui confessario imputabitur transgressio , vt bene pro-
bat Medina .

Dices : Ratione Medinae tantum probatur imputari con-
fessario transgressionem præcepti in administratione Sa-
cramenti , non autem toto tempore sequenti . Respondeo .
Quando transgressio præcepti pendet in futurum , tunc
cautio adhibenda est . Hoc autem sit in nostro casu , quia
poenitens tenetur iterum confiteri peccata prioris confe-
ssionis , & non confitetur deceptus a sacerdote , quia putat
se legitimè esse absolutum .

5 Quarta Conclusio : Non tenetur sacerdos manifestare
defectum pœnitenti , quando scandalum , vel damnum tale
effet , quod excusaret pœnitentem à præcepto integratatis
confessionis . Ratio est , quia in hoc casu Sacerdos non te-
netur manifestare defectum ad resarcendum damnum spi-
rituale pœnitentis , quia pœnitens bona fide confessus ,
potest resarcire damnum in sequenti confessione ; sed tan-
tum tenetur ratione præcepti integratatis , vt pœnitens
confiteatur illa peccata , quorum non obtinuit absolu-
tionem . Hoc autem præcepto non magis tenetur Sacerdos
ipsum certiore facere , quam ipse teneatur integrè confi-
teri . Ergo damnum , quod excusat pœnitentem ab integri-
tate confessionis , excusat etiam sacerdotem ab obligatione
de procuranda confessionis integritate .

6 Quinta Conclusio : Si confessarius in confessione fuit
in causa , ne fieret restitutio alicui tunc temporis , aut te-
netur ipse restituere , aut pœnitentem certiore facere ,
ne proximus damnum patiatur . Et eadem ratio , quæ excu-
saret pœnitentem à restitutione , excusaret etiam confes-
sarium , si in eo talis esset ratio .

QVÆSTIO XIV.

An confessarius teneatur instruere pœnitentem de re necessaria, quando videt ipsum esse in ignorantia?

1. **P**rima Conclusio: Quando ignorantia est vincibilis, tenetur confessarius in omni euentu & casu admonere pœnitentem, aut ipsum non absoluere, (si foret incapax) alioqui fieret magna irreuerentia sacramento, v. g. Si clericus confitens ignoret peccatum esse negligere canonicas horas, aut non residere personaliter in beneficio curato, tenetur confessarius eum admonere.

2. Secunda Conclusio: Quando ignorantia est invincibilis, & sequeretur damnum, scandalum, aut aliqua nota in populo, aut pœnitens creditur mansurus in eodem statu, & facturus peius, non tenetur confessarius ipsum admonere. Et quamvis non liceat mentiri, tamen alio modo relinquentus est pœnitens in bona fide. Hoc maximè locum habere solet in dirimendis Matrimonii, quæ rata & legitima putantur ab ipsis coniugatis. Vnde Sacerdos cautè debet procedere, quando ex confessione alterius coningis ei constat nullum fuisse Matrimonium, Ratio, quia cum illa correctio ordinetur ad bonam spirituale pœnitentis, non debet fieri quando, vel pœnitens putatur permanens in peccato, vel aliquod aliud damnum sequeretur.

C A P V T XXXIX.

De sigillo ipsius confessionis.

1. **P**RIMO, queritur quale sit præceptum de seruando secreto. Secundo, quos obliget. Tertio, ad quas res celandas obliget. Quarto, an in aliquo casu liceat reuelare secretum.

2. Prima Conclusio: Triplex est præceptum huius secreti, naturale, Diuinum & humanum. De primo patet, quia est de iure naturali seruare depositam, præstare fidelitatem, tueri famam proximi, & non facere alteri quod tibi non velis fieri. De secundo patet, quia confessio est iuris Diuini. Ergo etiam secretum confessionis, sine quo haec esset nimis odiosa,

796 C A P . XXXIX . D E S A C R A M E N T I S
odiosa & non seruaretur . Qui enim præcipit finem , cen-
setur etiam ea præcipere , sine quibus finis conseruari ne-
quit . De tertio constat ex cap . *Omnis utriusque* , & in cap . *Sa-*
cerdos d . 6 . de penitentia . Sed hisce capitibus id non de-
cernitur tanquam nouum ius , sed tanquam antiquum &
semper obseruatum . Poena autem apposita in cap . *Sacerdos* ,
quæ erat perpetua peregrinationis , temperatur in cap . *Omnis utriusque* , vt sit poena perpetua inclusionis in Mona-
sterio .

Quæres : Quale peccatum est facere contra præceptum
sigilli ? Respond . Est peccatum detractionis , infidelitatis
& Sacrilegij , sed diuersa ratione . Nam quatenus est contra
præceptum Diuinum & humanum est peccatum Sacrile-
gij : quatenus contra naturale , est detractionis & infideli-
tatis .

Ratio est , quia præceptum naturale solùm nos obligat
ad seruandum secretum sub generali illa ratione , qua tene-
mur esse fideles in seruando deposito , & tueri alterius fa-
mam . Præceptum verò Diuinum & humanum obligat nos
peculiari ratione , qua tenemur hoc præstare in re sacra
pertinente ad virtutem Religionis .

3 Secunda Conclusio : Ad secretum seruandum tenetur
primo & principaliter confessarius . *Secundo* , etiam alij te-
nentur , qui quocunque modo cognoscunt aliquod pecca-
tum ex confessione , vt ex *primo* interpres confessionis . *se-*
cundo , qui casu , aut ex industria audiuit confessionem .
Tertio , qui se singit sacerdotem , & audit confessionem .
Quarto , Laicus , cui in extrema necessitate fit confessio de-
uotionis gratia . *Quinto* , is cui reuelata fuit confessio à Sa-
cerdote aut iniuste aut iuste de licentia poenitentis .

Quæres , An hi omnes æquè strictè teneantur ad secre-
tum ? Respondeo . Confessarius strictissime tenetur iure
naturali , Diuino & humano . Reliqui non tenentur , nisi
solo iure naturali ; cùm apud hos non sit confessio sacra-
mentalnis .

4 Tertia Conclusio : Peccata in confessione manifestata
cadunt sub sigillum confessionis , de quibus *primo* certum
est , non licere reuelare aliquod peccatum mortale ; nec in
genere , nec in specie . Vnde non licet dicere poenitentem
confel


confessum fuisse sua mortalia. *Secundo*, non licere reuelare veniale in particulari, etiam minimum : idque certum est, vt & *Tertio*, licitum esse reuelare peccata in genere, aut peccata etiam venialia in genere, vt si quis dicat ita : Petrus confessus est mihi sua peccata : aut, Confessus est tantum venialia, quia cum manifestum sit, confessiones non fieri posse nisi peccatorum, vt minimū necesse est, esse venialia; & ita non tenetur seruare sub secreto, quod omnibus manifestum est. Hoc tamen intellige, modò non fiat aliqua comparatio, saltem indirectè cum aliis pœnitentibus. Sic enim viderentur reuelari confessiones aliquorum ; vt cum quis plures audiuit confessiones, & unius tantum confessionem laudat dicendo, illum tantum fuisse confessum venialia. Sic enim videtur insinuare alios fuisse confessus mortalia.

Circa hanc conclusionem notetur regula haec, vt confessarius nihil dicat aut faciat unde suspicio generetur, quod non seruet secretum. *Ac primo*, salubre consilium numquam nominare personam confitentis. *Secundo*, numquam extra confessionem quicquam agere vel impedire, vel promouere circa pœnitentem ex cognitione acquisita per aliquam confessionem.

5. Quarta conclusio : Certum est in uno casu licere reuelare confessionem, nempe de licentia pœnitentis, vt communiter omnes, præter Alensem, Scotum & Durand. docent. Horum ratio est, quia reuelare confessionem est, contra ius diuinum, in quo pœnitens non potest dispensare aut licentiam concedere. Ratio aliorum pro nostra conclusione est, quia præceptum sigilli eatenus tantum iure Diuino obligat, quatenus est in gratiam & fauorem pœnitentis, ne ei fiat iniuria; sed quando ipse concedit licentiam nullam ei fit iniuria. Ergo tunc cessat illa obligatio. Dubium est, an liceat reuelare confessionem in his casibus? *Primo*, propter correptionem pœnitentis, quando constat fore utilem. *Secundo*, quando Parochus aut Episcopus in confessione cognoscit impedimentum matrimonij. Nam postea, si ab illo petatur, celebratio matrimonij, annuet vel recusabit. Si annuet, committet sacrilegium. Si recusabit, faciet, contra sigillum confessionis. *Tertio*, quando

ex confessione cognoscitur imminere periculum toti regno, aut prouincia, aut omnibus Catholicis. *Quarto*, quando cognoscitur condemnatio innocentis. *Quinto*, quando aliquis, qui planè indignus est, petit in capitulo suffragia pro Episcopatu. *Sexto*, quando confessarius intelligit se interficiendum. In his casibus licere confessionem reuelare putat Altisidor. *7.4. summe tract. 6. cap. 3. quest. 4.* Alij rectius negant.

Nota circa secundum casum, sacerdotem non fore formaliter sacrilegum, quia perinde se habebit atque si nesciat impedimentum. Licet sciat ut minister, & foret tantum materialiter sacrilegus.



C A P V T X L.

De reseruatione casuum.

VAERITVR *primo*, an aliqua casuum reseruatio fieri possit. *Secundo*, cuins sit reseruare. *Tertio*, an reseruentur peccata ratione culpe, an ratione censuræ. *Quarto*, quænam peccata possint reseruari. *Quinto*, qua de causa possint reseruari. *Sexto*, quisnam possit absoluere à reseruatis. *Septimo*, an is, qui confitetur habenti facultatem absoluendi à reseruatis, si oblitus fuerit peccati reseruati, possit hoc consiteri cuicunque alteri sacerdoti. *Ottavo*, quomodo se debeat gerere sacerdos inferior cum poenitente habente casus reseruatos. *Nono*, an poenitentis absolui possit à superiore, quando habet casus reseruatos, auditis tantum reseruatis, & remittendo ad inferiorem pro aliis.

Q V A E S T I O I.

An aliqua casuum reseruatio fieri possit?

IUtherani & Caluinistæ solū agnoscunt hanc reseruationem in foro exteriore. At Catholici in Concil. Trident. *sess. 14. can. 7. & can. 11.* docent maiores sacerdotes habere ius reseruandi suo iudicio causas aliquas criminum grauiores, de quibus alij iudicare non possint. Et hanc reseruationem non tantum in exteriore politia, sed etiam coram

coram Deo vim habere, ita ut poenitens non possit consequi remissionem peccatorum apud Deum ab inferiori, quando peccata referuata sunt Superiori. Ratio sumitur ex natura iudicij. Sicut enim in foro exteriori potest superior iudex referuare sibi aliquas causas de quibus non velit iudicare inferiorem: ita etiam in foro interiori.

Dices: non est simile, quia licet hoc fiat in foro saeculari, quando potestas inferioris iudicis pendet ex potestate superioris, tamen in foro poenitentiae fieri non potest, quia omnes sacerdotes aequali potestate sententiā ferunt. Omnes enim immēdiatē a Christo habent potestatem iudicandi & absoluendi, non autem unus ab alio. Respondeo, ex dictis; iurisdictio sacerdotis continet in se duo, nempe actiua potestatem absoluendi, & applicationem materiae. Potestas absoluendi confertur immēdiatē a Christo & in omnibus aequalis est. Application autem materiae respectu Pontificis fit a Christo, respectu aliorum ab Ecclesia, & non est aequalis in omnibus. Itaque reseruatio non competit superiori Sacerdoti, ratione potestatis iudicariae, sed ratione applicationis materiae. Hinc etiam patet, quare in iudiciis saecularibus, quando lata est sententia ab inferiore iudice, possit appellatio fieri ad superiorē; quod tamen non fit in foro poenitentiae. Ratio est, quia potestas iudicaria in iudicio saeculari deriuatur a superiori iudice in inferiorem. Et ideo superior potest sibi referuare ultimum iudicium. At in foro poenitentiae potestas iudicaria est a solo Deo, nec deriuatur ab uno sacerdote in alium: ac proinde a sententia unius ad sententiam alterius appellari non potest.

Q V A E S T I O . II.

Quis possit reseruare casus?

Omnes sacerdotes habentes ordinariam iurisdictiōnem possunt sibi reseruare aliqua peccata respectu illorum Sacerdotum, quibus conferunt iurisdictionem ex commissione, ut Parochus, Episcopus, Pontifex & superiores ordinum Religiosorum. Ratio patet ex dictis. Quando enim conferunt aliis delegatam iurisdictionem quoad applica-

applicationem materiae, possunt eam vel absolute conferre, vel cum aliqua limitatione, excipiendo scilicet aliqua peccata.

2 Dices : Ergo Episcopus non potest sibi reseruare ullum peccatum, à quo Parochus absoluere non possit ; quod est contra Tridentin. *sess. 14. c. 7.* &c contra communem praxin. Sequela patet, quia habentes ordinariam iurisdictionem possunt sibi reseruare aliqua peccata respectu illorum tantum, quibus ipsi committunt iurisdictionem. Sed Episcopus non committit Parocho iurisdictionem. Nam, cùm duo sint in iurisdictione, potestas iudicaria & applicatio materiae, quoad primum sunt pares : quoad secundum Parochus non dependet ab Episcopo, sed à solo Pontifice, qui distribuit Parochias, atque ita materiam applicat. Respondeo, verum est Episcopis hoc modo non competere ius reserandi peccata respectu Parochorum, sed alio modo, nempè ex concessione Pontificis, vt docet Nauarr. *cap. 27. num. 263.* Quæ concessio facta ex antiqua consuetudine, & postea in Tridentin. confirmatur.

Q V A E S T I O III.

An reseruentur peccata ratione culpæ, an ratione censuræ ?

1 Prima Conclusio : peccata possunt dupliciter reseruari. *Primo*, ratione censuræ annexæ. *Secundo*, ratione solius culpæ sine censura. *Priore* modo dicuntur reseruari, quatenus per censuram apponitur impedimentum absolutioni peccatorum, quo existente non possit esse valida absolutio circa peccata, etiam in foro conscientiae, cùm sit incapax. *Pesteriore*, quatenus sineulla censura sola voluntate superioris excipitur aliquod genus peccati, quod ab inferiori tolli non possit.

2 Secunda Conclusio: De facto omnes casus reseruati Sedis Apostolicæ habent annexam excommunicationem, vt docet Caiet. *in sum. v. casus.* Nauarr. *c. 27. num. 261.* Fit autem hæc reseruatio non tantum ratione censuræ, sed etiam ratione culpæ, ita tamen, vt ablata censura in casibus Pontifici

Pontifici reseruatis ipso iure censeatur ablata reseruatio,
secundum Caiet. *ibid.*

2 Tertia Conclusio. Tres casus sunt iure communi Episcopis omnibus reseruati absque excommunicatione. *Primo*, peccatum clerici, cui annexa est poena irregularitatis, à quo tamen peccato potest absolui ab Episcopo ante dispensationem irregularitatis. *Secondo*, peccatum, ob quod olim imponebatur solemnis poenitentia, quæ tamen iam non est in usu. *Tertio*, peccatum incendiarij domus, frugum, aut aliarum rerum, & qui ad incendium dat consilium vel auxilium, quo moraliter & iniuste influit. Adidunt aliqui *Quarto*, blasphemiam, quæ olim reseruabatur ratione solennis poenitentiae. Sed nunc non reseruatur nisi publica sit, & pro foro exteriore. *Quinto*, dispensatio in voto, vel iuramento Episcopis reseruatur, sed non pertinet ad peccatum reseruatum.

Præter hos sunt & alij qui generali consuetudine reseruantur Episcopo. *Primo*, homicidium voluntarium. *Secondo*, falsarius in literis. *Tertio*, violatio libertatis Ecclesiæ. *Quarto*, violatio immunitatis Ecclesiæ. *Quinto*, sortilegium, seu diuinatio. Denique singuli Episcopi in suis diocesibus solent habere aliquos casus reseruatos, quos oportet videre in Constitutionibus Synodalibus.

Q V A E S T I O I V.

Quænam peccata possint reseruari?

1 **P**rima Conclusio. Venialia peccata non possunt reseruari. Est communis sententia. Nam sunt libera materia confessionis, & sola voluntate poenitentis applicari possunt cuicunque sacerdoti. Ergo à nullo sacerdote reseruari possunt.

2 Secunda Conclusio. Mortalia possunt reseruari, non tantum exteriora, de quibus certum est, sed etiam interiora. Ratio, quia confessarius habens ordinariam potestatem, potest eam, vel integrum, vel cum limitatione committere alteri circa mortalia peccata, siue interna, siue externa. Ergo potest aliqua sibi reseruare.

Dices, Ecclesia non potest ferre legem circa actus inter
Ecclesias.

nos. Ergo non potest reseruare peccata interna. Respond. non sequitur, quia reseruare huiusmodi peccata, non est aliquid præcipere circa internos actus; sed solum est non dare iurisdictionem absoluendi peccata interna.

3 Tertia Conclusio. Quamvis interna peccata reseruari possint, tamen in tota Ecclesia nullum de facto reseruat, ne quidem internum peccatum heresis. Patet ex dictis, quia in universalis Ecclesia non reseruantur modo illa peccata, quæ non habent annexam excommunicationem. Sed nullum internum habet annexam excommunicationem, ut bene docet Caiet. Ergo nullum internum modo reseruat. Duxi, in tota Ecclesia, quia forte in religionibus & congregationibus reseruantur aliqua interna. Ratio discriminis est, quia interdum aliquid est utile certis personis, quod non est utile toti Ecclesie; sicut patet etiam de votis Religiorum.

Q V A E S T I O V.

Quæ de causa reseruari possunt peccata, an sola voluntate superioris?

1 Non queritur, an sit peccatum uti hac potestate reserandi, sine causa rationabili quia certum est hoc licere, cum dicat Conc. Trident. concessam esse hanc facultatem in ædificationem, non in destructionem. Est ergo questio: an reseratio facta sine rationabili causa sit valida, ita scilicet, ut si inferior velit absoluere, quia videt absque causa reseratum peccatum esse, non teneat absolutionem.

2 Prima Conclusio. Quando superior habens ordinariam iurisdictionem reseruat aliquid peccatum respectu inferioris habentis iurisdictionem ex commissione, valida est reseratio, etiam sine causa facta: & inferior non potest absoluere a tali peccato. Ita Dom. Sotus *suprà art. 5.* & Ruardus *art. 3. Louaniens.* Ratio est, quia iurisdictione, quæ datur inferiori ex commissione, omnino pendet ex nutu superioris. Ergo sicut superior arbitratus suo potest illam omnino auferre; ita potest illam limitare & restringere.

3 Secunda Conclusio. Quando superior reseruat aliquid peccatum

peccatum respectu inferioris habentis ordinariam iurisdictionem, tunc reseruatio facta sine causa rationabili non est valida. Ita authores citati. Ratio, quia iurisdiction & materia, quæ semel applicata est pastori ordinario, non dependet ad nutum ex voluntate superioris. Ergo sicut sine causa rationabili auferri ab eo non potest, ita nec limitari, nec restringi sine causa rationabili.

Quæres: quid faciendum sit, quando superior reseruat aliqua peccata, & non constat, an habeat iustam causam? Reip. quamdiu non constat de iniusta causa, semper presumendum est pro superiore; quod vniuersaliter in omni lege seruandum est. Cum enim non constet de legislatoris iniustitia, constet autem de eius potestate, standum est illius præcepto.

Q V A E S T I O V I .

Quisnam possit absoluere à reseruatis?

1^a **P**rima Conclusio. Certum est omnes superiores Sacerdotes, qui habent potestatem peccata reseruandi, habere etiam potestatem absoluendi, quia nihil aliud est reseruare sibi aliquod peccatum, quam reseruare sibi ius absoluendi ab illo peccato.

2^a Secunda Conclusio. Certum quoque est inferiores Sacerdotes posse absoluere ex speciali commissione superioris, ut, verbi gratia, Parochus potest absoluere ex licentia Episcopi, in sua tamen dioecesi; quod absque fundamento extendit Nauar. c.27. n.261. afferens Parochum, qui in sua dioecesi licentiam habebat à suo Episcopo supra casus reseruatos, si transcat ad aliam dioecesin, censi ei eandem habere facultatem ab Episcopo illius dioecesis. Quod nescio qua ratione probari possit.

3^a Tertia Conclusio. Certum est etiam generalem licentiam concedi omnibus Sacerdotibus in extrema necessitate, ut habetur in *Decretalib. de sententia excommunicat. in multis capitib. & Trident. sess. 14. can. 7.* ubi docet, nullam esse reseruationem in articulo mortis; ac proinde omnes sacerdotes posse absoluere quemlibet poenitentem à quibusvis peccatis & censuris.

4 Quarta Conclusio. In iure concessa est facultas solis Episcopis absoluendi à casibus reseruatis Pontifici, quando non patet aditus ad Pontificem. Vnde mulieres, senes, valetudinarij, membris impediti absolui possunt ab Episcopo, & de cetero, & c. ea noscitur, & c. quod de his, de sent. ex-comm. & quamvis in c. ea noscitur, dicatur, ut pauperes nihilominus accedant Pontificem, neque ab Episcopo absoluantur, hoc tamen intelligitur secundum glossam, quando paupertas non est eis impedimento Romam adeundi. De casibus autem Episcopo reseruatis nullam video in iure concessam esse licentiam Parochis. Et sic optimè intelligitur, quod definit Trid. loco tit. Sacerdotes extra articulum mortis nihil posse in casibus reseruatis. Loquitur enim de inferioribus sacerdotibus, non autem de Episcopis, quia iam dictum est Episcopos aliquid posse in iis casibus extra articulum mortis.

5 Quinta Conclusio. Multi Religiosi ex priuilegio habent generalem facultatem absoluendi ab omnibus reseruatis etiam Pontifici (exceptis casibus Bullæ Cœnæ Domini) quorum iurisdictionem non potest Episcopus impedire. Vnde etiam respectu horum Religiosorum Episcopus nihil potest reseruare, quia ex concessione Pontificis habent facultatem supra omnes casus Episcopo reseruatos. Ex his Religiosis sunt Patres Societatis.

Q V A E S T I O V I I .

An, qui confitetur habenti facultatem absoluendi à reseruatis, si oblitus fuerit peccati reseruati, possit hoc postea confiteri cuicunque alteri sacerdoti?

Affirmant Gabr. in q. dist. 17. q. 1. art. 3. dub. 2. Rosella v. Confess. 2. n. 9. Sylvest. v. Confess. 1. q. 4. Angel. v. Confess. 32. n. 12. Couarr. in c. Alma Mater, 1. part. relectionis §. 3. n. 12. Canus. 5. p. relect. Nauar. cap. 26. n. 18. Et hoc intelligent siue confessio fuerit facta sacerdoti habenti potestatem ordinariam circa reseruata, siue ex concessione, modo peccatum hoc prætermissum fuerit ex inculpabili obliuione. Addunt Gabr. Ang. Ros. & Sylvest. hanc limitationem, quando scilicet

Silicet superior habet intentionem absoluendi ab omnibus peccatis, etiam reseruatis. Ceteri enim absolutè ita docent Doctores. Probatur primo, quia quando superior habet illam intentionem, tunc verè absoluit ab omnibus reseruatis. Secundo, quia ex illa intentione tollitur omnis excommunicatione. Sed ablata excommunicatione aufertur etiam reseruatio. Tertio, absolutè quia quicumque legitimè absoluit, virtualiter vult absoluere ab omnibus peccatis & oblitis. Et talis absolutio est efficax, per quam tolluntur omnia peccata.

Hæc sententia vera est, quando quis confitetur sacerdoti habenti potestatem absoluendi à reseruatis, ex priuilegio concessò in fauorem pœnitentis, ut cùm conceditur pœnitenti ut possit sibi eligere quemcunque approbatum, qui ipsum absoluat ab omnibus reseruatis. Non tamen est vera, quando quis confitetur habenti talem potestatem in gratiam sui ordinis, ut Societas, non autem in fauorem pœnitentis (quæ primariò tali sacerdoti conceditur, secundario pœnitenti.) Ratio, quia absolutio facta à tali sacerdote, nihil aliud operatur, quam effectum sacramenti, id est, remissionem culpæ per infusionem gratiæ, non tamen tollit obligationem iterum confitendi peccata per obliuionem prætermissa. Ergo manet obligatio iterum confitendi peccata reseruata non potest tolli, nisi quis confiteatur habenti potestatem absoluendi à reseruatis. Ergo pœnitens ad hoc tenetur. Aliud est, quando priuilegium fuit concessum in fauorem pœnitentis. Nam hoc ita videtur concessum, ut peccata illius non amplius sint reseruata: sed censeantur communia peccata, quæ à quolibet confessario absolui possint.

Hinc facile soluitur primum, & tertium argumentum contrarium, quia superior absoluít quidem ab omnibus reseruatis, non tamen ab obligatione iterum confitendi reseruata. Sicut etiam contingit in aliis peccatis non reseruatis, per inculpabilem obliuionem omissis.

Ad secundum concedo tolli excommunicationem, quando superior habens potestatem absoluendi ab excommunicatione sibi reseruata intendit absoluere à tali excommunicatione, quod tamen raro fit, quando quis propter

Q V A E S T I O VIII.

*Quomodo se debeat gerere sacerdos inferior cum pœnitente
habente casus reseruatos.*

1 **P**rima Opinio est, pœnitentem cum consensu sacerdotis inferioris posse omittere in confessione reseruata, & à cæteris posse absoluī: & in hoc casu diuidi posse confessionem & absolutionem. Ita Alens. 4. p. q. 18. m. 4. art. 4. ad ultimum. Ratio est, quia in hoc casu non diuiditur confessio ex verecundia, vel prauo affectu; sed cum consensu sacerdotis. Hanc sententiam Durand. dicit esse erroneam, quia integritas confessionis semper est iuris diuini, nisi aliqua necessitas excusat, ut patet ex Trid. sess. 14. can. 5. Vnde non tantum est peccatum diuidere confessionem ex verecundia, vel prauo affectu; sed etiam quacunque ratione, modò necessitas non excusat.

2 Secunda Opinio est, confessionem debere fieri integrā, & inferiorem sacerdotem absoluere posse cum hac obligatione, ut pœnitens confiteatur superiori peccata reseruata. Ita Henricus quodlibet 1. quæstione 29. Paludanus in 4. dist. 17. quæst. 5. art. 1. Durand. q. 15. ibid. Maior quæst. 5. Gabr. qu. 17. art. 3. dub. 2. Nauarrus Angelus, Syluester, Pet. Soto, Antoninus & multi alij. Hæc sententia refellitur ex Concil. Trident. sess. 14. can. 7. vbi dicitur sacerdotem extra articulum mortis nihil posse circa casus reseruatos. Et ratio est, quia sacerdos non potest ferre sententiam absolutionis supra peccata confessa, nisi supra illa habeat iurisdictionem, ut patet ibid. ex Trident. Sed supra reseruata non habet iurisdictionem. Ergo supra illa non potest ferre sententiam.

3 Tertia Opinio est, sacerdotem inferiorem posse absoluere à casibus reseruatis, manente tamen obligatōe confitendi Superiori non in omnibus casibus, sed quando instat aliqua necessitas. Ita Dominicus Soto in 4. distinctione 18. quæstione 2. articulo 5. ad primum. Canus supra. Ledgesimus in 4. quæst. 8. artic. 3. dubio 3. Hæc sententia potest etiam


etiam refelli ex Concil. Trident. loco cit. vbi expressè dicit, sacerdotem nihil posse circa reseruata extra articulum mortis.

⁴ Quarta Opinio est nostra, in nullo casu posse poenitentem absolui ab inferiori, quando habet casus reseruatos, nisi in articulo mortis, ut sèpè dictum ex Conc. Trid. Vnde sequitur, quod cùm quis confessus est reseruata inferiori, teneatur repetere totam confessionem coram Superiori, quia prima confessio fuit nulla & inualida.

QVÆSTIO IX.

An Pœnitens absolui possit à superiori, quando habet casus reseruatos, auditis tantum reseruatis, & remittendo ad inferiorem pro aliis?

¹ A ffirmant Dom. Soto in q. d. 18. quæst. 2. art. 5. Palud. ad. 17. q. 5. art. 1. Rich. ibid. art. 2. q. 8. Antoninus 3. part. t. 14. c. 19. §. 6. Nauar. in c. consideret. §. cautus. num. 123 Valent. q. 11. p. 1. casu 6. Caiet. in summa. v. Confessio, condicione 10. qui etiam addit maximè id fieri posse, quando adest rationabilis causa, cuiusmodi est continua occupatio superiorum, ita vt non possit vacare audiendis integris confessionibus. Et hanc esse dicit consuetudinem Romanæ curiæ. Ratio eius est, quia, licet integritas confessionis sit de iure diuino, tamen rationabilis causa excusare potest, qualis est continua occupatio Superioris. Contraria sententia est probabilior, Adriani supra, Sylvest. ^{tunc 45} v. confessio. 1. q. 19. Figuerij in summa c. 16. §. 4. vers. 17. Cani. 5. p. elect. Ratio est, quia integritas confessionis est de iure diuino, quæ sine urgente necessitate prætermitti non debet. Talis autem non est continua occupatio Superiorum, cùm hi possint alteri sacerdoti suas vires committere; vel audire tantum reseruata, & imponeat falarem pœnitentiam, & pro absolutione remittere ad inferiorem.



CAPUT XL.

DE SATISFACTIONE.

SATISFACTIO duplex est, una pro poena temporali, quæ iterum duplex, sacramentalis & non sacramentalis. De sola sacramentali hic actum quæremus primo, an habeat aliquem effectum ex opere operato, & quis ille sit. Secundo, an confessarius tenetur satisfactionem imponere poenitenti. Tertio, an poenitens teneatur illam acceptare & implere. Quarto, an necesse sit illam implere in statu gratiæ. Quinto, an possit per alium impleri. Sexto, an possit mutari ab alio confessario.

2 Prima Conclusio. Satisfactionis sacramentalis habet aliquem effectum ex opere operato, nempe remissionem poenæ temporalis. *Prius* patet, quia, cum sit pars sacramenti, debet operari sicut operantur sacramenta. Sed hæc operantur ex opere operato. Ergo & satisfactionis. *Posterius* probatur, quia potissimum instituta est ad remissionem poenæ temporalis.

Quæres: an conferat etiam gratiam ex opere operato. Affirmat D. Thom. *quest. 90. art. 2. ad 2.* & Dom. Soto in 4. *dist. 17. quest. 1. art. 2.* Ratio est, quia sacramenta nouæ legis conferunt gratiam. Sed satisfactionis est pars sacramenti. Ergo. Alij negant, quia solùm est instituta ad remissionem poenæ, ad quam non requiritur gratia. Sic ut Sacrificium Missæ confert remissionem poenæ temporalis sine gratia iustificante. Et hic nihil potest certò definiri.

3 Secunda Conclusio. Confessarius ordinariè tenetur imponere satisfactionem, quia tenetur integrum facere sacramentum. In duobus tamen casibus non tenetur. *Primo*, quando poenitens est in articulo mortis, & non potest implere satisfactionem. *Secundo*, quando sufficienter constat poenitentem iam ante satisfecisse. Vide Caiet. *tom. I. opusc. quest. 2. a. 2.* Nauar. *cap. 26. num. 20.*

Quæres: Quam magnam satisfactionem teneatur Confessarius imponere? Respondeo, de hac re Nazianzenus

oratione 16. sic scribit: Præstat errare imponendo pœnitentiam minorem iusto quam grauiorem: Et ubi Dominus est liberalis, ne sit dispensator auarus.

4. Tertia Conclusio. Pœnitens tenetur acceptare & implere satisfactionem, quando Confessarius iniungit. Est communior & tutior sententia contra Caietanum. Ratio est, quia Confessarius habet potestatem obligandi illum, ut docet D.Thom. in 4.dist.18.quæst.1.art.3.quæst.3. & plerique alij. Et probatur primo, ex Concilio Tridentino sess.14. c. 8. ubi potestatem ligandi sacerdotibus concessam explicat de potestate ligandi & obligandi ad satisfactionem. Secundo, ex capit. *Omnis utrinque secus*, ubi præcipitur, ut quisque fidelis impleat pœnitentiam à suo sacerdote impositam. Ratio, quia quilibet subditus omni iure tenetur obtemperare sententiae sui legitimi iudicis & superioris.

5. Quarta Conclusio. Satisfactione exhibita in statu peccati mortalis sufficit ad integratatem sacramenti, & ad impletandam obligationem à Confessario impositam, non tamen confert effectum remissionis pœnæ temporalis, nisi recedente impedimento, fictione. Prior pars est communis, & probatur, quia Confessarius solum obligat ad opus satisfactionis præstandum, non autem ad modum operis, ut scilicet fiat in gratia & charitate. Et hoc locum habet in omnibus aliis præceptis & obligationibus positius. Posterior pars est probabilis, non tamen certa, quia non satis constat, an peccatum mortale sit obex impediens remissionem pœnæ temporalis. Aliqui affirmant, quia impedit remissionem culpæ. Ergo & pœnæ. Alij negant, quia non impedit characterem in Baptismo, sed solam gratiam iustificantem.

6. Quinta Conclusio. Satisfactione poenitenti imposta potest per alium impleri, præsertim si pœnitens non per se possit commodè, aut alius sit sanctior aut dignior. Ita Diuus Thomas in quarto, dist.20.quæst.1.art.2.quæst.uncula 3. Potest tamen dupliciter intelligi. Primo, ut fiat sine consensu confessarij, quod non licet, quia obligatio satisfaciendi oritur ex præcepto confessarij. Ergo sine consensu illius non potest in alium transferri. Secundo, ut fiat cum consensu confessarij. Et sic licet, quia confessarius potest

eum obligare, vel per se, vel per alium satisfaciat.

7 Quæres: an satisfactio per alium facta sufficiat non solum ad implendum præceptum confessarij, sed etiam ad satisfaciendum ex opere operato pro pœnitente. Aliqui negant, cùm talis satisfactio non sit actus pœnitentis. Ergo non est pars sacramenti. Ergo non operatur ex opere operato. Alij affirmant, quia talis satisfactio, licet physicè non sit pœnitentis, tamen moraliter censetur illius. Mihi placet pars negatiua. Ratio, quia, vt habetur in Conc. Trid. loco cit. Satisfactio sacramentalis iniungi debet ad duos fines. *Primo*, ad medelam & custodiam nouæ vitæ. *Secundo*, ad vindictam præteriorum peccatorum. Sed neutro modo potest esse sacrar ientalis, nisi respectu pœnitentis, non *primo*, quia vita pœnitentis non custoditur in pœna alterius. Nec *secundo*, quia peccata pœnitentis in suo pœnitente puniuntur & vindicantur.


8 Sexta Conclusio. Quando satisfactio fuit iniuncta pœnitenti à suo confessario, probabile est mutari posse ab alio confessario, audita tamen prius confessione priorum peccatorum. Circa hanc mutationem quædam certa sunt: quædam dubia. Certum est *primo*, si secundus Confessarius habeat potestatem conferendi Indulgentias, posse non tantum mutare, sed etiam tollere satisfactionem à priore impositam Confessario, etiam extra confessionem. *Secundo*, si prior Confessarius errauerit in imponenda satisfactione, quia scilicet nimis magnam & difficilem imposuit, posse alterum mutare illam in benigneorem, auditis prius peccatis præcedentibus, pro quibus fuit imposta.

Dubium est, quid fieri possit, quando prior satisfactio fuit rationabilis, & iniuncta est clave, ut loquuntur Theologi, non errante.

Dixi in conclusione probabile esse mutari posse ab altero, audita tamen confessione priorum peccatorum, *Primo*, quia est communior sententia, quam quis secure ob authoritatem sequi potest. *Secundo*, quia praxis & usus obtinuit, ut notat Dominicus Sotus, distinctione 20. questione 2. artic. 3.

Nihilominus tamen, si rationem spectemus, probabilius

Ius videtur non posse commutari poenitentiam, nisi ab eodem Sacerdote. Ratio est, quia omnes Sacerdotes sunt aequales in potestate absoluendi. Ergo unus non potest reuocare sententiam quam alius tulit. Nam ad renocationem sententiae necessarium est, ut iudex qui reuocat, sit superior.



CAPUT XLII.

DE ABSOLUTIONE.


1. RECEPVA difficultas est, quis sit sensus illorum verborum: *Ego te absoluo à peccatis tuis.*

2. Prima Opinio est, hunc esse sensum: Ego te ostendo, seu declaro absolutum esse à peccatis. Ita Magister in 4. dist. 18. Sanctus Bonaventura ibid. art. 2. quest. 1. Gabriel quest. 1. art. 2. & Alensis 4. part. quest. 80. m. 1. Sed refellitur primo, quia est contra vim & proprietatem verborum. Secundo, quia non cohæret cum illis verbis: *Quorum remiseritis, &c. quorum retinueritis, retenta sunt.* Tertio, quia si sacerdos non remittit peccata per sacramentum absolutionis, sequitur iam antea remissa esse per contritionem: & sic attritio cum sacramento nunquam sufficeret, quod est contra communem sententiam. Quarto, quia repugnat Conc. Trid. sess. 14. can. 6. dicens: *Non esse nudum ministerium, nec declarare, &c.*

3. Secunda Opinio est, hunc esse sensum: Ego te absoluo ab obligatione subiiciendi peccata tua clauibus Ecclesie, ita refert Alensis, & Bonaventura; & ex parte sequitur Gabriel. Sed ferè iisdem rationibus refellitur. Deinde non habet locum, quando quis sola venialia confitetur, aut etiam mortalia semel confessa. Nam, etiam ante obligationem erat poenitens liber ab obligatione talia peccata confitendi.

4. Tertia Opinio hunc sensum dat: Ego te absoluo à poena peccatis debita. Ita Hugo de sancto Victore, lib. 2. de sacramentis, part. 14. cap. 8. Et Richardus. in 4. distinctione 18. art. 2. quest. 1. Sed facile refellitur, quia si sacerdos

solum



812 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
solùm remittit pœnam. Ergo iam antè est remissa culpa
per contritionem; & sic nunquam attritio cum sacramen-
to sufficiet.

5 Quarta Opinio hunc dat sensum : Confero tibi grā-
tiam expulsuam peccati. Ita quidam Recentiores. Sed re-
felliuntur *primo*, quia sacerdos non est immediate minister
gratiae, sed sacramenti per quod confertur gratia. *Secundo*,
quia sequeretur absolutionem nunquam esse validam, &
simil informem ; quod tamen est contra eosdem au-
thores.

6 Quinta Opinio est hunc esse sensum : Ego sacra-
mentum absolutionis tibi impendo. Ita Diuus Thom. *quest. 83.*
artic. 3. ad 5. Hæc expositio mihi placet hoc sensu : Ego te
sacramentaliter absoluo à peccatis tuis. Vel : Ego in hoc
tribunali, quod à Christo est institutum, absoluo te à pec-
catis tuis.

CAPUT XLIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

MA TRIMONIVM habet tria. *Primo*, quod sit offi-
cium naturæ. *Secondo*, quod sit contractus ciuilis.
Tertio, quod sit sacramentum. Sunt autem hæc tra-
ctanda nobis de Matrimonio. *Primo*, de sponsalibus præ-
cedentibus Matrimonium. *Secondo*, de ipso Matrimonio
secundum se, quoad materiam, formam, ministrum & in-
stitutionem. *Tertio*, de causa efficiente, quæ est consensus.
Quarto; de vnitate matrimonij, cui opponitur *πολυγαμία*,
διζερπτία, & secundæ nuptiæ. *Quinto*, de firmitate, seu indis-
solubilitate, cui opponitur repudium. *Sexto*, de bonis ma-
trimonij, nempe de fide coniugum in cohabitatione, cni
opponitur diuortium : & de fide coniugum in reddendo
debito : & denique de prole educanda; & de filiis illegiti-
mis. *Septimo*, de impedimentis matrimonij. *Ottavo*, de iu-
dice causarum matrimonialium.

DE SPONSALIBVS.

DICAM primo de natura sponsalium. Secundo, de contrahentibus. Tertio, de verbis & signis contrahentium. Quarto, de obligatione sponsalium. Quinto, de dissolutione. Sexto, quomodo sponsalia transeant in matrimonium. Septimo, an legitimè contrahi possint sponsalia inter Catholicum & hæreticam; & contra.

QVÆSTIO I.

An promissio futuri matrimonij sint sponsalia?

1. **P**rima Conclusio. Sponsalia à spondendo dicta sunt duplici de causa. Primo, quia spondere est sponte promittere. At in hoc contractu maximè requiritur spontanea promissio. Secundo, quia apud antiquos fuit consuetudo, ut puella nuptura promitteretur viro à patre, vel tute, vel amicis; ut patet apud Varronem lib. 5. de lingua Latina. Unde qui promittebantur, dicti sunt sponsus & sponsa, quasi alteri sponsus & promissa. Qui autem promittebat, dictus est sponsor. Ipse verò contractus sponsalia. Vide l. 2. & 3. ff. de sponsalibus. Et l. sponsio. ff. de verbis. significat.

2. Secunda Conclusio. Nomen sponsalium sumitur tripliciter. Primo, pro futuri matrimonij promissione. Secundo, pro matrimonio non consummato; seu pro contractu matrimonij per verba de præsenti; & hoc sensu ipsi coniuges dicuntur sponsi, ut notat Magister in 4. dist. 27. Ita sumitur Luce 2. versu 5. vbi Maria dicitur fuisse Iosepho despontata vxor. Et apud Gratianum cap. coniuges, & cap. qui despontatum, 27. quæst. 2. Et in Decretalib. cap. tertio loco, de præsumptionibus, & cap. 2. & finali, desponta duorum. Huius appellationis rationem reddit Diuus Thomas quæst. 43. art. 1. ad 6. quia scilicet in ipso contractu matrimonij includitur tacita quedam promissio de præstanto in futurum officio coniugali. Hæc autem promissio sponte facta vocatur sponsio.

Tertio, sumitur pro muneribus, quæ olim à sponso dabantur

bantur sponsæ, 1. Regum 18. versu 25. Non habet Rex sponsa-
lia necesse, id est, non est necesse, ut David Michol det mu-
nera Regis Saulis filiae.

3 Tertia Conclusio. Hoc loco propriè sumuntur sponsalia pro futuri matrimonij promissione, & definiuntur à Nicolao Papa cap. nostrates. 30. quæst. 5. & à Iureconsulto 1. ff. de sponsalibus, ita. *Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio.* Solum enim propositum nullam obligatio-
nem nec sponsalium vinculum inducit.

Requiruntur autem tres conditiones ad valorem spon-
saliū. *Prima*, ut sit promissio futuri matrimonij. *Secunda*,
ut sit inter personas iure habiles ad contrahendum. *Tertia*,
ut verbis aut signis manifestetur.

4 Quarta Conclusio. Sicut nomen sponsalium variè usur-
pari potest, ut dictum: sic etiam nomen sponsi & sponsæ,
viri & vxoris. Nam aliquando sponsus & sponsa de præ-
senti, qui nondum matrimonium consummarunt, vocan-
tur vir & vxor. Gratian. cap. cùm initiatur, & cap. coniuges,
cap. coniunx. 27. quæstione secunda.

Aliquando sponsus & sponsa de futuro vocantur vir
& vxor, ut Genesis 29. versu 21. ubi Iacob dixit ad Laban:
Da mibi uxorem meam; quæ tamen erat tantum illi pro-
missa.

Aliquando seruant nomen sponsi & sponsæ, siue contra-
ixerint matrimonium de præsenti, siue tantum promiserint
se contracturos.

5 Quæres primo, cum nomen sponsi & sponsæ tam am-
biguum, quid per illud intelligatur, quando in aliqua le-
ge, contractu, vel testamento fit mentio de sponsis? Non-
nulli Canonistæ docent, intelligendos esse solos de futuro
sponsos, nisi aliunde constet contrarium. Idem sentiunt
de statuto loquente de vxore, ut non intelligatur de
sponsa; Et similiter in loquente de sponsa, ut non intel-
ligatur de vxore. Nam verba statutorum propriè sunt in-
telligenda, cap. in nostra, de iniuriis, & ibi videndus Inno-
centius.

Alij tamen vtuntur distinctione. Vel enim materia est
odiosa, vel fauorabilis. Si odiosa, ut si statutum contineat
filiam maritatem non succedere patri vel marito, tunc non
compre-

comprehenditur sponsa de futuro; Si fauorabilis, tunc etiam sponsa de futuro comprehenditur nomine vxoris, & sponsus de futuro mariti nomine, ut colligitur ex l. non sine, c. de bonis, quae liberis in potestate constitutis. Vide Abbatem in cap. tertio loco, de presumptionibus.

6 Quæres secundo, vnde constabit dispositionem alicuius legis esse fauorabilem, vel odiosam? Respondeo, ex primaria intentione disponentis. Si enim primaria ipsius intentio sit in fauorem alicuius disponere, erit fauorabilis, licet in damnum & odium aliorum redundet. Si verò primaria intentio sit in alicuius odium & poenam statuere, erit odiosa, licet cedat in alterius fauorem. Ita colligo ex glos. cap. si propter, de rescriptis, in 6. &c. sciant cuncti de electione in 6. Et videtur esse communis sententia.

Nihilominus Ioannes Andreæ c. i. de locato, num. 5. aliter sentit, assicrens constitutionem emanantem principaliter in fauorem, si poenam tamen contineat, restringendam esse. Quod explicat Panormitanus, ut restringenda quatenus odiosa, extendenda quatenus fauorabilis. Vide Couarru. l. variarum resolutionum, c. II. num. 5. ubi probat hanc posteriorem sententiam, quando fauor & odium distingui possunt.

Q V A E S T I O I I .

*An ad valorem sponsalium sufficiat promissio
mere interna.*

1. **V**idendum deinceps qualis debeat esse promissio, vt sponsalia sint valida. *Et primo*, an debeat esse externa. *Secundo*, an mutua. *Tertio*, an inter præsentes. *Quarto*, an deliberata. *Quinto*, an vera, non ficta. *Sexto*, an coram parocho & testibus. De *primo* hic agam.

2. Prima Conclusio. Ut sponsalia sint valida, non sufficit interna præmissio facta homini. Est communis sententia, & probatur, quia promissio homini facta ordinariè non obligat nisi acceptetur. *lege i. ff. de pollicitationibus.*

At

At non potest acceptari nisi quatenus innotescat. Nec potest innotescere, quamdiu est purè interna. Ergo debet per externa signa manifestari.

Quæres: vnde fiat quod interna promissio non obliget similiter quod non obliget, nisi acceptetur? an ex dispositione iuris tantum positiui, an verò ex natura rei? Respondeo, hoc dictum est de iure & iustitia, *disp. 6. de translatione dominij per promissionem & donationem*; vbi dictum id esse ex natura rei.

Secunda Conclusio. Nec ad valorem sponsalium sufficit interna promissio Deo facta per modum voti. Est etiam communis sententia. Probatur, quia votum est promissio melioris boni, vt docet Diuus Thomas *in 2. 2. quest. 88. artic. 2.* At melius bonum est cœlibatus quam matrimonium, vt definit Concil. Trident. *sess. 24. can. 10.* Ergo inuidia est promissio Deo facta de futuro matrimonio contrahendo.

Quæres: An nunquam possit esse valida? Respondeo, potest esse in duobus casibus.

Primo, quando matrimonium est in præcepto, vt si aliquis defloraret virginem fide data de matrimonio. Tunc enim validè voueret se illam ducturum, quia in tali casu melius esset matrimonium, quam cœlibatus, esset enim in præcepto.

Secundo, quando ex aliquo matrimonio speratur maxima utilitas totius Reipublicæ, vt pax inter Principes Christianos; vel insignis infidelium, aut hereticorum conuersio. Tunc enim utilius esset ad Dei honorem inire matrimonium, quam feruare cœlibatum.

Sunt alij tres casus, in quibus dubium est, an votum sit validum de futuro matrimonio. *Primo*, quando quis vouet matrimonium, & simul statuit ingredi religionem ante matrimonij consummationem. *Secundo*, quando id vouet in remedium concupiscentiæ, quia se nimis fragilem experitur. *Tertio*, quando intuitu pietatis vouet ducere pauperculam. Vide in materia de voto.

QVÆSTIO III.

An in sponsalibus debeat esse mutua promissio?

COnlusio. Ad valorem sponsalium necessaria est mutua hanc te promissio sponsi & sponsæ. Colligitur ex l. i. ff. de sponsalibus. vbi sponsalia vocantur re-promissio, id est, reciproca promissio. Ratio. Nam sponsalia continent promissionem futuri matrimonij, sed matrimonium requirit vinculum utriusque contrahentis. Ergo & sponsalia.

2. Quæres primo. An censenda sit re-promissio sufficiens ad sponsalia, quando alter fidem dedit de matrimonio contrahendo: alter vero non expressè re-promisit, sed acceptauit promissionem, dicendo: *Placet, vel Accepto, vel; Gratias tibi ago pro beneficio in me collato.* *Bin zufrieden.*

Affirmant Paludanus in 4. dist. 27. quæst. 1. in artic. 1. Antonius 3. p. titul. 1. cap. 18. Rosella v. sponsalia, n. 1. Sylvest. ibid. Henriquez lib. 11. cap. 13. Ratio est, quia sicut matrimonium claudicare non potest, sed vel ex utraque, vel ex neutra parte debet esse validum; ita & sponsalia. Sed dicente altero per verba de praesenti, *accipio te in meam;* Si mulier respondeat *Placet;* est verum matrimonium, ut docent Caconistæ c. si inter. De sponsalibus. Ergo similiter dicente altero per verba de futuro; *Accipiam te in meam;* Si mulier respondeat: *Placet,* erunt vera sponsalia; & censembitur illa re-promissio.

Confirmatur, quia acceptans censetur virtualiter re-promittere. Censetur enim velle ut utrinque sit par obligatio, ut in Matrimonio contingit.

Alij tamen rectius docent non sufficere acceptationem promissionis, ut censeatur re-promissio, & acceptans obligetur. Ita Dominicus Soto in 4. distinct. 27. quæst. 2. artic. 1. Ludouicus Lopez, tomo 2. instrutorij, in materia de matrimonio, capite 36. & Petrus Ledesma de matrimonio, quæstione 43. articulo 1. dubio 1. Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis. Sed in foro externo dubium est, an acceptans promissionem alterius habeat internam voluntatem vicissim promittendi, an solùm acceptandi

318 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
alterius promissionem : Et possidet libertatem voluntatis,
qua possit alterutrum facere. Ergo in tali dubio melior est
conditio acceptantis. Ergo per solam externam accepta-
tionem non potest obligari.

Confirmatur *primo*, quia sola externa acceptatio non
est sufficiens signum re-promissionis. Nam qui sic acceptat,
potest velle tantum acceptare alterius promissionem, &
non re-promittere. Ergo ex illo dubio signo non debemus
presumere quod re-promiserit; quia potuit non re-promit-
tere. *Secundo*, quia taciturnitas promissarii est quædam ta-
cita acceptatio promissionis, ut *infra* dicam. Sed qui tacet,
videtur consentire, quantum est in sui fauorem, non tamen
in præiudicium, ut docet *Glossa in regula*. Qui tacet, de re-
gulis iuris in 6. Innocen. cap. in Genes. De electione & elec-
tione. Couarruiias lib. 3. variarum resolutionum, capit. 15.
num. 4. Vnde taciturnitas non est sufficiens signum conser-
sus ad obligandam personam, ut bene dicit *Glossa I. Filius-*
familias. ff. de procuratoribus. Ergo similiter acceptans pro-
missionem censetur solum acceptare, quatenus est in sui
fauorem, ut alter maneat ipsi obligatus, non autem in sui
præiudicium ut alteri obligetur.

3 Ad rationem contrariam Respondeo non esse simile.
Nam matrimonium nulla ratione claudicare potest, nec
alia ratione acceptari quam ut matrimonium. Sponsalia
vero, quamvis etiam claudicare non possint, quatenus spon-
salia sunt, tamen possunt quatenus continent promissio-
nem; quia potest esse promissio unius siue alterius repro-
missione. Possunt ergo acceptari per modum simplicis pro-
missionis, quæ obliget solum promittentem. Ad confirmationem
respondeo, acceptantem censi acceptare, quan-
tum est in sui fauorem, ut dictum est.

4 Quæres *Secundo*, Si sola acceptatio non sufficit, ut ac-
ceptans censeatur re-promittere & obligari, an saltem al-
ter, qui promisit, obligetur? Aliqui affirmant eum obliga-
ri ad contrahendum matrimonium non vi sponsalium,
cum ea nulla sint, quia defuit re-promissio; sed vi simplicis
promissionis. Ratio, quia, licet sponsalia non possint clau-
dicare, sed necesse sit, vel utrumque obligari, vel neu-
trum vi sponsalium: tamen simplex promissio potest esse
ex

ex parte vnius altero non repromittente. Sicut contingit in promissione liberali, seu gratuita. Ergo potest vnuis obligari vi simplicis promissionis altero non obligato. Refert autem multum, an aliquis sit obligatus vi sponsalium, an tantum vi simplicis promissionis.

Nam ex priore obligatione oritur impedimentum publicae honestatis, non autem ex posteriore.

Alij contrarium tenent, nempe, si alter non repromittat, neutrum obligari. Ratio, quia promissio futuri Matrimonij non est gratuita, sed onerosa, nempe: faciam, si facies. Ergo promissor non obligat se nisi cum hac tacita conditione: Si alter vicissim se obliget. Confirmatur, quia, quando actus qui promittitur, ita pendet ex duorum voluntate, ut sine mutuo ipsorum consensu perfici non possit, tunc promittens nihil censetur disponere (validè agere) nisi utriusque consensus accedat. Glos. leg. in vendendis. c. de contrabenda emptione. Bart. leg. i. n. 3. c. de summa Trinitate. Et ratio est, quia verba contractus iuxta ipsius naturam intelligi debent. Glos. l. si uno. ff. locati. Atqui matrimonium ex duorum consensu perficitur. Ergo illud promittens nihil censetur disponere, nisi utriusque consensus atque promissio accedat. Vide Molinam tom. 2. de iustitia, tract. 2. disput. 263. Vbi docet, hoc interesse inter gratuitam promissionem, & non gratuitam sed respectivam, ut precij in emptione, aut ducendi aliquam vxorem in sponsalibus; quod prior sit absoluta, & statim obliget promittentem; posterior sit conditionalis, & non obliget, nisi alter repromittat.

Alij denique vtuntur distinctione afferentes, si is cui fit promissio, statim acceptet, obligari sponsorem, seu promissorem, si non statim, sed ex temporis interuallo, non obligari. Et hoc probant ex l. continuus. ff. de verb. obligat. quæ sic habet: *Continuus actus stipulantis & promittentis esse debet: ut tamen aliquid momentum naturæ intervenire possit, & continuus responderi stipulanti oportet: Cæterum si post interrogacionem aliud agere cæperit, nihil proderit, quamvis eodem die spondisset.*

Ex his tribus sententiis Prima vera est, quando promittens intendit liberaliter, seu gratuito promittere. Secunda

820 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
est visitatio in praxi & foro externo, ubi de contractibus
solet iudicari secundum naturam contractuum, nisi aliud
obstet. *Tertia*, solum vera est in stipulatione, in qua verba
cum illa solemnitate sunt de substantia, & summo iure
agitur, non autem in aliis contractibus bonae fidei, cuius-
modi est matrimonium & sponsalia. In his enim non re-
quiritur physica continuitas consensum, sed sufficit mor-
alis. Quamuis enim facta vnius promissione alter non sta-
tim repromittat, sed post temporis interuallum: oretur
tamen utrumque obligatio, si prior in eadem voluntate
persistat. Hæc enim moralis continuitas in utrumque pro-
missionem sufficit ad obligationem inducendam.

¶ Quæres Tertio, an essent vera sponsalia, si uterque gra-
tuitò promitteret, & neuter respectuè? Aliqui negant, quia
sponsalia habent veram naturam contractus, ultra citro-
que obligatorij. Sed duæ illæ promissiones gratuitæ non
dependent à se mutuò; Ergo non efficiunt contractum;
Ergo nec sponsalia. Confirmatur à simili, quia si quid tibi
gratis darem, & tu vicissim mihi, non esset contractus (in-
nominatus) *Do ut Des*, sed duæ simplices donationes dis-
solutæ, & à se inuicem independentes. Ergo idem est de
duabus promissionibus gratuitis. Alij tamen putant effici
vera sponsalia, quia ad veritatem sponsalium non requiri-
tur, ut propriè sit contractus, *Facio ut Factas*: sed sufficit
mutua promissio futuri matrimonij, siue sit gratuita, siue
onerosa ex utraque parte.

Q V A S T I O I V.

*An in sponsalibus debeat esse promissio inter
presentes.*

¶ *Primo* certum est, hanc promissionem fieri posse inter
absentes. *Secundo*. Si promissio sit onerosa, seu respe-
ctuæ, reuocari posse ante absentis acceptationem & re-
promotionem. *Quæstio* est, an etiam promissio gratuita
possit reuocari, quæ promissio dupliciter potest fieri. *Primo*,
ut nemo adsit, qui absentis nomine eam acceptet. *Secundo*,
ut adsit, qui acceptet.

¶ *Prima Conclusio*. Gratuita promissio Matrimonij ab-
senti

senti facta , nullo pro eo acceptante, reuocari potest ante absentis acceptationem. Probatur , quia iure communi quaevis promissio facta absenti est reuocabilis ante acceptationem , *i.e. absenti. ff. de donationibus.* Ratio est , quia obligatio non oritur nisi ex mutuo duorum consensu,*i.e. ff. de pactis.* Ab hac autem generali regula nusquam excipitur promissio matrimonij.

Dices. Illa generalis regula tantum valet in iure ciuili, vt patet ex *ll. citatis.* At promissio matrimonij est iuris canonici, seu Ecclesiastici. Respondeo, quando leges ciuiles non sunt contrariae Canonibus, tunc etiam in rebus Ecclesiasticis iudicandum est secundum leges ciuiles. *c. intellectus. de noui operis nunciatione, & glossa ibid.* At in hoc causa non sunt contrariae.

Dices. Imo videntur esse contrariae , quia in iure Canonicco non requiritur acceptatio , vt patet ex *c. veniens* , qui clerici vel videntes , vbi promissio matrimonij absenti facta ponitur tanquam valida : & tamen constat ex contextu, nullum absentis nomine acceptasse. Respondeo , Autores explicant illum textum , quando per nuncium, vel epistolam promissio absenti facta est. Ita Glossa Ioan. Andreæ & Ostiensis, *ibid.*

3 Quæres primo, an promissio matrimonij, quando acceptata est ab absente , statim fiat irreuocabilis. Respondeo, iure communi necesse est, vt absenti intimetur per epistolam , vel nuncium ad id à promittente destinatum. Nec sufficit si aliunde certior factus abiens acceptet. Ratio est, quia hæc acceptatio ideo requiritur, vt perficiatur contractus, cuius perfectio in voluntatum vnione consistit, *i.e. i. ff. de pactis.* At absentium voluntates non vniuntur , nisi voluntas vnius supradicto modo alteri intimetur , vt docet Gloss. *leg. i. ff. de contrahenda emptione.*

4 Quæres secundo , an quæ haec tenus dicta sunt , valeant tantum in foro externo , an etiam in foro conscientie, id est , an promissio absenti facta ante acceptationem reuocabilis sit tantum in foro externo , an etiam in conscientia ? Hoc pendet ex illa questione , an acceptatio necessaria sit ex solius iuris positui dispositione , an etiam ex iure naturali , de qua dixi in materia de Iure &

Iustitia, vbi docui, quod in utroque foro.

5 Secunda Conclusio. Gratuita promissio matrimonij absenti facta, si fiat coram aliquo, qui absensis nomine stipulari possit (id est , acceptare) non potest reuocari a promittente , si ille præsens absensis nomine stipuletur; & si promissio fiat per verba directa in præsentem : vt : *promitto tibi me contractum cum Maria* : vel per verba impersonalia : *promitto me contractum cum Maria* (omisso T I B I) secus , si verba promissionis dirigantur in absensem ; vt : *promitto Marie absenti matrimonium*. Tunc enim nullo modo fit promissio præsenti , sed tantum absenti , ac proinde per stipulationem præsentis non potest acceptari.

2 Quæres primo , qui possint promissionem absenti factam acceptare ; vel , quod idem est hic , pro absente stipulari ? Respondeo, multi hoc possunt, primo, qui ab altero generalem, vel specialem habet commissionem. Secundo, qui est sub alterius potestate, ita ut non sit sui iuris , & filius familias pro patre ; Seruus pro Domino ; Religiosus pro Prælato. Tertio , qui aliorum curam gerunt , ut tutor pro pupillo , curator pro furioso , Princeps pro subdito. Quarto , qui ex donatione , vel promissione facta absenti , vel commodum reportat , vel aliquo onere liberatur , ut creditor pro debitore , socius pro socio , vxor pro marito. Aliqui addunt Notarium publicum , præsertim si de eo conficiat instrumentum : quamuis aliqui putent, hunc habere solum locum in iudicio.

7 Quæres secundo , an , quando acceptauit quis promissionem pro absente , teneatur absens id ratum habere. Respondeo, non tenetur, nisi velit. Is tamen , qui absensis nomine acceptauit promissionem , non potest eam condonare , quia iam absenti ex dispositione legum est ius quæsumum , quo illum priuare non potest. Obligatio tamen , quia promissio obstringitur absenti , adhuc pendet donec ab absente acceptata fuerit. Vnde ante eius acceptationem non tenetur eam exequi. Ratio, quia præsens non acceptauit eam suo nomine , sed absensis , & sub eius beneplacito. Vnde si ille eam repudiet , tota est irrita.

8 Quæres tertio , an quæ dixi de promissione gratuita , valent

valent etiam in onerosa an respectiva? Respondeo, plerique negant: quia si promissio sit onerosa, non sufficit ut tu pro absente acceptes: sed requiritur, ut absens eam acceptet & repromittat. Vnde ante eius repromissionem, quæ vicissim priori promittenti nota sit, semper reuocari potest. Ratio, quia ante obligationem vtriusque partis non perficitur contractus. Absens autem potest acceptare cum tali onere. Vide Molinam *disput.* 164.

QUESTIO V.

An in sponsalibus debeat esse promissio deliberata?

1. Promissio includit duos actus, Vnum intellectus ordinantis & deliberantis, alterum voluntatis habentis propositum se obligandi & promittendi. Vnde ex duplice capite fieri potest, ut promissio non sufficiat ad sponsalia *Primo*, ex defectu deliberationis: *Secundo*, ex defectu propositi se obligandi & promittendi. De priore hic agitur; de posteriore *in seqq.*

2. Prima Conclusio. Ad valorem sponsalium requiritur *hanc* promissio ut minimum cum tali deliberatione, & attentione, seu aduertentia, qualis requiritur ad peccatum mortale, ad meritum, & ad votum validum. Talis enim deliberatio, seu aduertentia requiritur ad omnem validam promissionem, ut docent Nauar. *cap. 18. num. 7.* Molina *disput. 267.* Thomas Sanctius *l. 1. de matrimonio*, *disput. 8. n. 5.* & alij paſſim. Vnde si quis promittat aliquid cum ſemiplena deliberatione, non fatis aduertens quid faciat, non obligatur ad implendum, ne quidem ſub veniali peccato. Ratio, quia cum hæc obligatio fit onus quoddam, quod sponte ſuſcipitur, non debet ciferi aliqui imponitum, niſi perfectè in illud conſenſerit. *Quod non fit absque perfecta deliberatione, ſeu aduertentia.*

3. Quæres Primo, quæ cifeatur perfecta deliberatio, ſeu aduertentia? Respondeo, quando intellectus ſine vlo errore, aut ignorantia rem apprehendit, & ſufficienter aduertit, fitne bona, vel mala. De errore plura dicam infra *cap. 45.*

4. Quæres Secundo, an cifeatur ſufficiens deliberatio,

seu aduertentia, quando quis promittit sponsalia ex nimis iracundia, vel simili aliqua passione. Aliqui negant, quia regula iuris est: quidquid calore iracundiæ sit vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit iudicium animi fuisse; ut habetur *in regula*, 48. ff. de regulis iuris. Et l. 3. ff. de diuortiis. Et c. diuortium, de penitentia, dist. I. Hinc aliqui Canonistæ colligunt contractum calore iracundiæ initum non esse ratum, nisi, cum plenum iudicium adest, confirmetur. Sed distinctione opus est: nam si iracundia, vel animi perturbatio sit tam subita, & tam vehementis, ut priuet hominem usu rationis, & impedit aduentiam requisitam ad peccatum mortale: tunc promissio, vel contractus in tali statu factus non censetur validus. Si autem iracundia non impedit illam aduertentiam, aliter est sentiendum. Et hoc in foro conscientiae; nam in foro externo aliqui docent, si, transacta iracundia, poeniteat eum facti, signum esse defuisse requisitam deliberationem, ac proinde non obligari.

5 Quæres Tertio, quid dicendum de ebrio vel amente, qui tempore ebrietatis, vel amentiae promittat sponsalia, vel futurum matrimonium? Respondeo, certum est, præmissionem tali tempore factam, si præcisè spectetur, non sufficere, quia deest libertas & aduertentia. Sed quid si ebrius & demens tempore sanæ mentis habuerint voluntatem contrahendi sponsalia, & postea tempore ebrietatis, aut dementiae contraxerint? Aliqui putant valida esse, primo, quia Baptismus eo tempore collatus esset validus ob præcedentem voluntatem, secundo, quia homicidium tunc commissum, si prius esset præuisum, censeretur mortale peccatum. Haec tamen rationes non conueniunt. Non prior, quia aliud est loqui de Ministro, aliud de suscipiente. In Baptismo sufficit præcedens voluntas ex parte suscipientis: At ex parte Ministri non sufficeret. Si enim Parochus haberet voluntatem baptizandi, & postea in ebrietate vel amentia baptizaret, irritus esset baptismus. Sic etiam, si quis prius voluisset contrahere matrimonium, & postea ebrius, aut amentis contraheret, irritus esset contractus. Nec posterior, quia homicidium commissum in ebrietate ideo imputatur, quia, cum posset & deberet præcaueri, non fuit præcautum.

9 Secunda Conclusio. Hæc promissio, quæ fit in sponsalibus, non solum debet esse deliberata, sed etiam spontanea, ut excludatur promissio metu, vel fraude extorta, hæc enim non est valida, nec tenemur eam implere, nisi sit iurata, ut docet D.Thom. in 2.2. q.89. a.7. Nec refert (saltem in foro conscientiæ) etiamsi metus ille fuerit leuis; iuxta Sylvest. & Nauar. 1.17. num.30. quia, qui metu, etiam leui, extorquet promissionem, facit iniuriam promittenti. Ergo ratione iniuriæ potest promittens non soluere promissum.

Q V A E S T I O V I .

An promissio ficto animo facta sufficiat ad valorem sponsalium.

1 IN promissione potest esse triplex voluntas. *Prima*, promittendi. *Secunda*, obligandi se per promissionem. *Tertia*, implendi quod promissum est. Igitur tripliciter potest esse ficta promissio. *Primo*, quando quis exterius promittit, & interius non habet animum promittendi. *Secundo*, quando habet animum promittendi, non tamen se obligandi. *Tertio*, quando habet animum promittendi, & se obligandi, non tamen implendi promissum. De *primo* & *tertio* genere promissionis non est difficultas. Nam certum est, eum, qui non habet animum promittendi, & consequenter nec obligandi se, nec implendi, non contrahere sponsalia, sed mentiri fictè promittendo. Similiter certum est, eum qui habet animum promittendi, & se obligandi, non tamen implendi, reuera contrahere sponsalia, & obligari ad præstandum id quod promisit. Quæritur ergo de *secundo* genere, an scilicet obliget promissio quæ fit animo promittendi, non tamen se obligandi.

2 Prima Conclusio. Probabile est, quando quis habet animum promittendi non tamen se obligandi, si sic promittat, contrahere verè sponsalia & obligari. Ita sentie Petrus Ledesma q.43. de matrimonio. a.1. dub. 2. Dom. Soto 1.7. de iustitia. q.1. a.2. Aragonius in 2.2. q.88. a.1. Et probatur *primo*, quia, sicut calor est effectus naturalis ignis, sic obligatio promissionis. Ergo sicut calor necessariò sequitur

826 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
ignem, etiam si quis nolit; sic obligatio promissionem. Er-
go qui verè promittit, verè obligatur, etiam si nolit. Hoc
sensu dicunt Iurisconsulti: *Qui vult antecedens, vult nece-
fario consequens.* l.1. ff. si *vusfructus*. Secundo probatur, quia
si esset in potestate promittentis obligare; esset etiam in
eius potestate obligare se ad mortale vel veniale, quod vi-
detur absurdum.

nec taneo
2 Secunda Conclusio. Probabilius est sic promittentem
non contrahere sponsalia, nec obligari vi promissionis
(simplicis) ita Henriquez l.11. c.13. n.2. Sanchez l.1. diff. 9.
§. 5. & multi apud hunc citati. Probatur *primo* ex c. finali
de conditionibus appositis, vbi matrimonium, tametsi
non defuerit animus contrahendi, censetur inualidum
propter conditionem appositam, quæ erat contraria sub-
stantiæ matrimonij. Ergo similiter promissio, tametsi non
deficit animus promittendi, erit inualida, quando quis
apponit voluntatem non obligandi se; quia talis voluntas
est contraria naturæ & substantiæ promissionis. Promissio
enim ex natura sua includit vim obligandi. Ergo sublata
hac vi obligandi destruitur natura promissionis. *Secundo*,
quia obligatio promissionis non oritur ex aliqua commu-
ni lege, sed ex priuata hominis voluntate. Ergo si deest vo-
luntas obligandi se, non potest oriri obligatio.

4 Ad *primum* argumentum contrarium Respondeo. Obli-
gatio non oritur ex promissione, nisi sit vera promissio.
Non est autem vera promissio si deficit animus obligandi se;
nam hic animus est de essentia promissionis. Vnde seruan-
da est hæc proportio: Sicut causa naturalis non potest ve-
rum ignem producere nisi habeat vim producendi calo-
rem: Sic causa voluntaria non potest veram promissionem
efficere, nisi habeat propositum se obligandi. Rursum:
Sicut non est in potestate causæ naturalis, ut ex vero
igne semel producto non sequatur calor, vel vis calefa-
tiua: Sic non est in potestate causæ voluntariæ, ut ex vera
promissione semel facta non sequatur obligatio, seu vis
obligandi.

Ad *secundum* Respondent aliqui, non esse in potesta-
te promittentis, aut vountis obligare se ad mortale, vel
veniale; sed ex obiecti (materiæ) magnitudine id pen-
sandum

sandum esse. Ita Dom. Soto l.7. de iustitia, quæst.2. artic.1. Et Corduba quæst. 188. punclo.1. Ratio est, quia quamvis obligatio voti & promissionis, quoad exercitium, pendeat ex intentione videntis & promittentis; non tamen quoad quantitatem. Hæc enim sumitur ex natura rei, iuxta exigentiam materiae vel obiecti. Rectius distinguunt alij. Quamvis enim non sit in potestate promittentis, aut videntis, ut in re leui obliget se ad mortale, cum neque præcepta & leges superiorum in re leui obligent ad mortale: Est tamen in potestate illius in quacunque libera materia graui obligare se ad veniale. Ratio est, quia votum vel promissio est lex priuata, quam promittens sibi imponit. At legislator potest sub veniali velle obligare in materia graui. Confirmatur, quia aliqui bene docent videntem posse ad solam poenam se obligare. Henriquez l.5. c.25. num.5. Ergo potest etiam ad solum veniale se obligare. Sanctius disþ.9. §.6.

5 Quæres primo, an huiusmodi promissio sponsarium, quæ facta est sine animo obligandi se, tametsi non obliget ratione sui, ut dictum est, obliget saltem ratione iuramenti, si contingat illam iuramento confirmari? Sanctius citat multos autores pro vtraque parte. Respondeo, probabilius est non obligare. Nam sicut promissio per se non obligat nisi adsit animus obligandi; ita similiter iuramentum per se non obligat, nisi adsit animus obligandi. Suppono autem promittentem non habere animum obligandi se, tametsi habeat animum promittendi & iurandi.

6 Quæres secundo, an talis promissio, licet nec ratione sui, nec ratione iuramenti obliget promittentem, quia decet voluntas obligandi se, obliget saltem ad contrahendum Matrimonium ratione fraudis & iniurie alteri factæ? Respondeo primo, quando est liberalis promissio, si nullum aliud damnum sequatur ex parte fœminæ, quam quod per fictam promissionem delusa sit, non tenetur promittens eam ducere. Ratio, quia non tenetur vi promissionis, aut iuramenti, ut dixi; nec ratione iniurie, quia non intercessit iniuria, sed tantum mendacium. Ergo nullo modo tenetur, nisi forte ratione scandali

dali violatæ fidei seruandæ in promissis. Respondeo *secundo*. Quando fictè promittens Matrimonium sub ea specie deflorat virginem , tunc quæstio est , an teneatur eam ducere. Aliqui putant sufficere , si vel ducat illam , vel constituant dotem , nam utroque modo potest satisfieri iustitiae : Aliqui putant teneri sub mortali eam ducere. Nam in omni contractu oneroso, *Du*, ut *Des*, vel *Fatio*, ut *Fatias*, quando unus ex sua parte impleuit, tenetur etiam alter impleere , tametsi fictè contraxerit , quia tenebatur ex iustitia verè & non fictè contrahere, verbi gratia : Si fictè promisi Petro centum florenos ut eat Romam ; si iuerit, teneor dare. Ergo cum in nostro casu fuerit contractus onerosus, & mulier iam impleuerit , tradendo corpus, tenetur etiam filius promissor impleere, eam ducendo.

Confirmatur *primo* , quia iustitia commutativa non solum postulat , ut reddatur æquale , sed ut idem numero vel specie , si dari potest , verbi gratia : Si fur equum abstulit, tenetur illum restituere , & non sufficit dare pecuniam æquivalentem, inuito creditore, *leg. 2. ff.* si certum petatur. Atqui promissor in nostro casu, ex iustitia commutativa tenebatur præstare consensum, quia hoc necesse est in omni contractu. Ergo cum adhuc possit illum præstare , tenetur ex iustitia ad eum præstandum , si altera pars velit.

Confirmatur *secundo* , quia duo in hoc casu spectari possunt. *Primo*, damnum violatæ virginitatis. *Secundo*, iniusta deceptio quæ facta est per fictam promissionem. Quamuis ergo is, qui fictè promisit, non possit damnum illud in propria specie resarcire , ac proinde nec teneatur illud præstare; potest tamen iniustam deceptionem in propria specie resarcire, si nimirum præstet consensum in Matrimonium, ac proinde debet illud facere.

Hæc tamen sententia limitanda est his modis. *Primo*, nisi vir notabiliter conditione excedat, verbi gratia nobilitatis. Tunc enim foemina huius conscientia excessus , non potest allegare se deceptam esse, quia facile apparebat virum adeò disparem fictè polliceri matrimonium. *Secunda*, nisi foemina ex verbis , vel aliis claris conjecturis facile intelligat alterum fictè promisisse ; Tunc enim sibi debet impunitare,

tare, quia voluntariè videtur fraudi consensisse. *Tertio*, nisi magnum scandalum ex eo Matrimonio probabiliter timeatur; tunc enim sufficiet dotem dare deceptæ virginis. *Quarto*, nisi fœmina deceperit virum dicendo, se esse virginem cùm non esset. Vide Sanctum *l.i. disp.10.§.1. & seq.*

Q V A E S T I O V I I I .

An hac promissio debeat fieri coram Parocho & testibus?

*1 S*ensus est, ap sicut Conc. Trid. sess. 22. de Matrimonio c. 5.

Sirritauit matrimonium clandestinum, ita etiam censetur irritasse sponsalia clandestina. Aliqui Canonistæ affirmant. Et probatur Primo ex lege Oratio. ff. de sponsalibus, quæ sic habet: *Oratio Imperatorum Anton. & Commodi*, quæ quasdam nuptias in persona Senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil locuta est: recrè tamen dicitur etiam sponsalia in his casibus ipso iure nullius esse momenti, ut suppleatur quod orationi deest. Et ex *l. si quis tutor. ff. de ritu nuptiarum*, quæ sic habet: *Quamuis verbis orationis cautum sit, ne uxorem tutor pupillam suam ducat, tamen intelligendum est, ne responderi quidem posse.* Ergo similiter, quamuis in Trident. cautum sit, non valere Matrimonium clandestinum, tamen intelligendum est, nec Sponsalia clandestina valere. Secundo probatur, quia inhabilis ad matrimonium est inhabilis ad Sponsalia. Tertio, sicut se habet Matrimonium absolutum ad sponsalia absoluta; ita clandestinum ad clandestina. Sed prohibito absolute Matrimonio sunt irrita absolute sponsalia. Ergo prohibito clandestino irritantur clandestina.

2 Prima Conclusio. Ex vi decreti Tridentini non est necessarie sponsalia celebrari coram Parocho & testibus, sed clandestinè contracta valida sunt. *Nauar. c. 25. n. 124. Henr. num. 50. c. 8. Sanctius l. i. disp. 12. §. 2. & alij apud hunc citati.* Probatur primo, quia lex Tridentini irritans Matrimonium clandestinum, est correctoria iuris communis; ac proinde non debet extendi ultra casum expressum. *l. præcipimus C. de appellationibus.* Ergo cùm solùm irritet Matrimonium clandestinum, non debet extendi ad sponsalia, sed tanquam casus omissus relinquendus est in

830 C A P . X L I I I . D E S A C R A M E N T I S
in dispositione iuris communis, *l. commodissimè. ff. de liberis*
& posthumis. Confirmatur, quia iure communi valida sunt
sponsalia clandestina. Sed per decretum Tridentini redu-
cimur ad ius commune. Ergo Sponsalia clandestina ma-
nent valida.

Probatur *secundo*, quia, quando non est eadem ratio
prohibitionis, tunc prohibito Matrimonio non censentur
prohiberi Sponsalia. At in nostro casu non est eadem ratio
prohibitionis. Nam Matrimonium clandestinum prohibi-
tum est à Tridentino ad vitandum adulterium. Solent
enim aliqui, spreto priori Matrimonio clam inito, publi-
cè aliam ducere, & cum ea in perpetuo adulterio viuere.
Cùm enim de priori Matrimonio non constaret Ecclesiar^e
cogebat ad secundum, quod tamen erat adulterium. Hoc
autem non habet locum in Sponsalibus. Nam Matrimo-
nium contractum, prioribus Sponsalibus contemptis, va-
lidum est.

Probatur *tertio*, quia poena apposita contrahentibus
Matrimonium non afficit contrahentes sola Sponsalia. Er-
go irritatio, seu annullatio Matrimonij clandestini non ex-
tenditur ad clandestina sponsalia. Hoc colligitur ex cle-
ment. *prima, de consanguinitate*, vbi excommunicantur du-
centes consanguineam; & tamen illa poena non exten-
ditur ad celebrantes sola sponsalia cum consanguinea, ut be-
ne notat glossa *ibid.* Et Nauar. 27. n. 141. Et ratio est, quia in
odiosis nomine Matrimonij non veniunt sponsalia, ut di-
ctum in quest. i.

3 Ad *primum* argumentum contrarium Respondeo, le-
ges illas tripliciter posse intelligi. *Primo*, quando Matri-
monium prohibetur absolute, seu omnibus modis; tunc
enim licetè contrahi non possunt: ac proinde sponsalia
censentur irrita, sicut quævis promissio alia rei illicitæ ir-
rita est. *Secundo*, quando est eadem ratio prohibitionis in
Matrimonio & sponsalibus. *Tertio*, quando prohibitio Ma-
trimonij est perpetua, secus quando est temporalis, ut in
nostro casu. Vide Nauar. l. 4. *consiliorum, titul. de consan-*
guinitate, conf. 3. n. 6. Vel iuxta secundam editionem l. 5. tit.
de raptoribus, conf. 4. n. 2.

Ad *secundum* Resp. distinguendo Maiorem. Nam qui
perpetua

perpetuo est inhabilis ad Matrimonium, est etiam inhabiliis ad sponsalia; alias non.

Ad tertium negatur Maior. Nam quando absolutè prohibetur Matrimonium, tunc sponsalia non possunt cadere super materiam illicitam; & ideo absolutè censentur esse prohibita. Quando autem solum prohibetur Matrimonium clandestinum, tunc sponsalia etiam clandestina possunt cadere super materiam licitam, nempe super matrimonium non clandestinum. Vbi nota dupliciter celebrari posse sponsalia clandestina. Primo, si clam promittas te contractum Matrimonium clandestinum. Secundo, si clam promittas te contractum Matrimonium coram Parrocho & testibus. Priori modo sunt irrita sponsalia, non posteriore.

4 Secunda Conclusio. Ex se nullum est peccatum contrahere sponsalia clandestina, patet ex dictis, quia non sunt prohibita in Tridentino.

Dices. Sunt prohibita cap. finali. de clandestina desponsatione. Et ita sentiunt Rebuffus, Ostiensis, Ioann. Andreæ, Angel. Caiet. Palud. & alij apud Sanchez l.1. disput. 13. §. Et ratio est, quia prohibito aliquo, censetur prohibitum omnne id per quod peruenitur ad illud. Sed per sponsalia peruenitur ad Matrimonium: Ergo prohibito Matrimonio clandestino, censentur etiam prohibita sponsalia clandestina. Respondeo, in illo c. finali, tantum prohibetur Matrimonium clandestinum. Porro illud axioma (prohibito aliquo, censetur prohiberi id per quod ad illud peruenitur) in nostro casu potest esse verum hoc sensu: Prohibito Matrimonio clandestino censentur etiam prohiberi sponsalia clandestina: per quæ peruenitur ad Matrimonium clandestinum: Non tamen sponsalia clandestina per quæ peruenitur ad Matrimonium coram Parrocho & testibus.

Q V A E S T I O V I I .

Qui sint habiles ad sponsalia contrabenda?

Hactenus dixi de promissione requisita ad valorem sponsalium: nunc dicam de ipsis promittentibus, seu

832 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
seu contrahentibus sponsalia. Et primo queritur de illorum
habilitate. Secundo, de ætate.

tertio 3. Prima Conclusio. Illæ solæ personæ habiles sunt ad
sponsalia, inter quas consistere potest Matrimonium. Nam
sponsalia sunt promissio futuri Matrimonij. Ergo inhabiles
ad Matrimonium sunt inhabiles ad sponsalia.

3. Quæres primo, qui sunt inhabiles ad Matrimonium? Re-
spondeo, sunt duplicitis generis. Alij sunt inhabiles non so-
lùm ad licitè, sed etiam ad valide contrahendum propter
impedimenta non solùm impedientia, sed etiam dirimen-
tia Matrimonium. Alij sunt tantùm inhabiles ad licitè
contrahendum ob impedimenta solùm impedientia, non
dirimentia Matrimonium, de quibus infra.

4. Quæres secundo, an impedimentum, quod solùm im-
pedit, & non dirimit Matrimonium, solùm etiam impedit
& non dirimat sponsalia? Respondeo si tale impedimen-
tum præcedat sponsalia, non solùm impedit, sed etiam dis-
soluit illa. Ratio est, quia omnis promissio rei illicitæ est
inualida, cùm non obliget. Nemo enim potest obligari ad
rem illicitam præstandam. Sed quando impedimentum
adest impediens Matrimonium, tunc hoc est illicitum. Er-
go promissio talis Matrimonij est irrita, nec potest ali-
quem obligare. Ergo & sponsalia sunt irrita. Vide Nauar.
l. 4. consil. tit. 1. de spons. conf. 38. num. 6. Vel secundum edi-
tionem alteram consil. 5. num. 6. vbi simili argumento pro-
bat inualida esse sponsalia Catholici cum hæretica, de quo
infra quæstione ultima.

5. Quæres tertio, an quod dixi de impedimento non di-
rimente Matrimonium, semper verum sit? Respondeo, tunc
verum est, quando impedimentum est perpetuum, non au-
tem quando est temporale. Nam impuberes possunt con-
trahere sponsalia, cùm tamen pro eo tempore non possint
inire Matrimonium. Similiter qui castitatem ad tempus,
non potest licitè pro eo tempore Matrimonium inire; &
tamen validè contrahit sponsalia.

tertio 6. Secunda Conclusio. Septennium completum requiri-
tur ad contrahenda sponsalia c. literas. c. accessit. c. ad dis-
soluendum. de desponsatione impuberum in Decretalibus. Et
l. in sponsalibus contrahendis. ff. de sponsalibus. Et ratio
est

est iuxta D.Thom.q.43.art.3. quia septennio completo incipit communiter usus rationis. Quod etiam patet ex l.si infantii. Iuncta.l.potuit.c.de iure deliberandi. Nam in priori dicitur requiri voluntatem pupilli, ut ipsis acquiratur hereditas. In posteriori dicitur posse maiorem septennio acquirere. Ergo supponit habere voluntatem.

Hinc colligitur ratio, cur ius Canonicum eandem aetatem in viris & foeminis prescriperit, cum tamen diuersam ad Matrimonium petat. Nam ad sponsalia sufficit usus rationis, qui eodem tempore (saltem ut plurimum) viris & foeminis aduenit. Ad Matrimonium autem requiritur potentia generandi, quae tardius in viris reperitur. Vide D.Th. q.43.art.2. & 3. sufficit tamen si ultima septennij dies fit inchoata, licet non sit completa. Et hoc in fauorem Matrimonij. Sicut in fauorem testamenti idem statutum est, l.qua aetate ff.de testamentis. Non enim est minus fauorable Matrimonium quam testamentum.

7 Dices: Ius ciuale docet, non esse certum definitum tempus pro sponsalibus, ut patet ex l.in sponsalibus contrahendis. ff.de sponsalibus, quae sic habet: *In sponsalibus contrahendis aetas contrahentium definita non est, ut in Matrimonio.* Respondeo. In eadem lege paulo post dicitur, requiri ut minimum septem annos ad sponsalia. Igitur priora verba commode explicanda sunt. Explicantur autem à Glossa tripliciter. Primo, quod in sponsalibus non sit eadem aetas definita, quae in Matrimonio. Secundo, quod in sponsalibus non sit alia aetas definita pro maribus, & alia pro foeminis, sicut in Matrimonio. Tertio, quae aetas definita pro sponsalibus non semper sufficiat, sicut aetas definita pro Matrimonio: Nam sepe contingit eos, qui septennium compleuerunt (quae aetas definita est pro sponsalibus) non peruenisse ad usum rationis, & consequenter ineptos esse ad sponsalia contrahenda. Qui autem attigerunt annum duodecimum, aut decimum quartum, apti sunt ad Matrimonium, si aetatem spectemus. Illi autem anni definiti sunt pro Matrimonio; duodecimus pro foeminis, decimus quartus pro maribus.

8 Tertia Conclusio. Si uterque vel alter contrahens minor septennio sit, nec malitia suppleat aetatem (de qua

834 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
postea sponsalia nulla sunt, nisi post legitimam etatem ex-
pressè, vel tacitè ratificantur, ut habetur c. *unio de despon-
satione impuberum, in VI.* Ratio est, quia sponsalia sunt pro-
missio mutua; ergo si vel alter defectu etatis incapax sit
promittendi, corrident sponsalia. Huius autem tacitæ rati-
ficationis signum erit, si adueniente etate legitima contra-
hentes simul habitent, cap. *citato.* Quia ex cohabitatione
præsumitur eiusdem voluntatis perseverantia. Si autem non
simul habitent, non consentur consentire, nisi verbo, vel fa-
cto eorum liquidò appareat, ipsos in eadem voluntate
persistere. *Ibidem.*

9. Quæres primo, an malitia in sponsalibus possit supple-
re etatem, id est, an valeant sponsalia ante septennium ex-
pletum, si eo tempore contrahentes habeant usum ratio-
nis. Aliqui negant. Primo, quia quando certa etas, iure pre-
scribitur, tunc præueniri non potest, ut patet in professio-
ne (sexdecim annorum) & testamento. Secundo, quia si va-
lent sponsalia ante septennium, quando adest discretio, &
non valent post septennium, quando non adest discretio,
frustra à iure communi præscriptum est septennium; Et
multo rectius decisum esset valere sponsalia contracta ab
habentibus usum rationis. Alij rectius docent, malitia etat-
em supplente validè contrahi sponsalia ante septennium.
Ratio, quia Matrimonium validè contrahitur ante tempus
à lege præscriptum, quando malitia supplet etatem. c. *de
illis 2. de despons. impub.* Est autem eadem ratio in sponsali-
bus. Utrobique enim spectatur sufficiens cognitio & dis-
cretio circa id quod agitur. Vide Diuum Thom. *quaest. 43.
art. 2. ad 7.*

Ad primum ergo argumentum contrarium. Respondeo, id
verum esse, nisi in iure expressum sit contrarium in aliquo
casu æquivalente, ut fit hoc loco. Ad secundum Respondeo,
ideo præscriptum est septennium, ut præsumatur usus ra-
tionis. Nam in ea etate, nisi contrarium manifestè appar-
eat, præsumitur rationis usus in puerō; non autem ante
eam etatem. Vnde sequitur ante septennium non esse spon-
salia nisi probetur contrahentes esse doli capaces.

11. Quæres secundo, an sufficiat usus rationis usus antè se-
ptennium ad sponsalia contrahenda, qui sufficit ad peccan-
dum

dum mortaliter? Negat Diuus Thomas *quest. 43. artic. 2. ad 2.* Ratio eius est, quia ad peccatum mortale sufficit consensus ad rem præsentem: Ad sponsalia autem requiritur consensus in futurum. Maior autem rationis discretio necessaria est ad prouidendum in futurum, quam ad consentiendum in actum præsentem. Alij contra sentiunt. Ratio, quia usus rationis, qui sufficit ad obligandum se per votum solenne Ordinis sacri, & per votum simplex Religiosi, potest etiam sufficere ad obligandum se per sponsalia, cum haec obligatio facilius auferri possit, quam illa. Atqui usus rationis sufficiens ad mortale, sufficit ad obligationem voti. Ergo etiam ad obligationem sponsalium.

12 Quæres tertio, an esset peccatum mortale, si quis contraheret sponsalia ante legitimam ætatem? Aliqui adfimant, quia *c. 2. de despons. impub.* sic habetur: *Districtus inhibemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem legibus vel canonibus determinatam non peruerterit, coniungantur nisi forte aliqua urgentissima necessitate interueniente, utpote pro bono pacis, talis coniunctio toleretur.* Hæc autem districta inhibitio continet vim præcepti. Ergo qui contra facit, transgreditur præceptum. Ergo in re graui peccat mortaliter. Alij rectius negant, quia pueri non possunt contrahere sponsalia ante legitimam ætatem, nisi contrahant ante usum rationis, ut ex dictis patet. Sed ante usum rationis non possunt peccare mortaliter. Ergo contrahendo ante legitimam ætatem non peccant mortaliter.

Porrò textus ille iuris Canonici difficilis est. Aliqui putant intelligi de sponsalibus ante pubertatem contractis, ut *Gloss. Hostiens.* *Sylvest.* & *Rosella.* Alij de sponsalibus ante septennium contractis, ut *Innoc.* *Sot.* *Nauarr.* Alij denique non de sponsalibus, sed de Matrimonio, quod est probabilius, ut *Panormitanus.* Ratio, quia textus loquitur de coniunctione. At sponsalia non sunt propriè coniunctio, sed coniunctionis promissio. Et cum res sit poenalis & prohibitoria, non debet extendi ultra proprium significatum.

Q V A E S T I O I X .

P e r q u a v e r b a c o n t r a h a n t u r S p o n s a l i a .

HÆ tres regulæ feruandæ sunt. *Prima.* Quando verba important consensum de præsenti, tunc contrahitur Matrimonium, vt, v. g. *Accipio te in meam: Habeo vel teneo te in uxorem: volo te in uxorem: Ex nunc eris mihi uxor (mea uxor:)* *Ex nunc habebo te in meam.* Vel si vnum dicat: *Ego te accipio in meam,* & alter respondeat: *Placet.* *Secunda:* quando verba important consensum de futuro, tunc contrahuntur sponsalia, vt, v. g. *Accipiam te in meam: Habebo te uxorem: Promitto me ducaturum Mariam.* *Tertia,* quando verba dubia sunt, tunc in foro conscientiæ standum est intentioni contrahentium: At in foro externo iudicandum est in fauorem Matrimonij, aut iuxta communem verborum intelligentiam procedendum; vt, v. g. *Volo te habere uxorem: volo tecum contrabere.* Vide Sanchez lib. 1. disput. 18. Vbi prolixè agit.

2. Queres. An etiam per verba negatiua contrahantur sponsalia. vel Matrimonium. Respondeo duo certa esse, *primo*, quando est pura negatio, ita vt neque explicitè, neque implicitè includatur affirmatio, non est Matrimonium, neque sponsalia, vt v. g. *nunquam aliam à te ducam.* Ratio est, quia consensus non præstatur per meram negationem. *Secundo*, si addatur affirmatio, sunt sponsalia vel Matrimonium, quia particula (*N I S I*) cùm sequitur negationem, affirmat, vt v. g. *nullus, nisi Petrus currit.* Aliqui dicunt esse verba æquiroca, & posse habere duplē sensū. *Primo*, exceptiuum, vt: *nullam aliam ducam, vel duco nisi te;* id est, *non ducam aliam, & te ducam.* *Secundo*, conditionale; vt: *nullam ducam nisi te;* id est, si aliquam duxero, non ducam nisi te. *Priori* sensu dicunt esse sponsalia, aut Matrimonium, non posteriore. Aliqui denique simpliciter, & sineulla distinctione negant esse sponsalia, vel Matrimonium, quia dicta verba non possunt habere aliud sensum, quam conditionalem & exceptiuum simul, hoc modo: *Si aliquam duxero, promitto non aliam quam te ducaturum.*

Q y 4

Q V A E S T I O X.

An aliquando contrahantur Sponsalia per verba de praesenti?

1 **I**N duobus casibus fieri potest, ut per verba de praesenti, quae per se apta sunt constituere Matrimonium, reuera non constituantur Matrimonium. *Primo*, ex defectu solemnitatis assistentiae Parochi & testium, ut sit in Matrimonio clandestino. *Secundo*, ex defectu aetatis, ut quando contrahitur Matrimonium inter impuberem, vel inter unum puberem & alterum impuberem, & malitia non supplet aetatem. Quæritur ergo an in his duobus casibus contrahantur saltem sponsalia, si non Matrimonium per verba de praesenti?

2 **P**rima Conclusio. Tametsi probabile sit Matrimonium clandestinum inducere obligationem sponsalium, tamen contrarium est probabilius. *Prius tenet Henriquez l. II. c. 5. num. 4. & quidam alij.* Et probatur ex *c. unico de despons. im- pub. in VI.* Vbi decernitur Matrimonium impuberum obligare ut sponsalia. Et ratio additur, quia actus, qui non valuit eo modo quo gestus est, valet saltem eo modo quo generi poterat. Ergo similiter, quamuis clandestinum Matrimonium non valeat ut Matrimonium, valebit tamen ut sponsalia, potest enim sic valere, quia clandestina sponsalia non sunt prohibita, ut supra dictum. Confirmatur *primo*, quia Matrimonium clandestinum inter impuberem valeat ut sponsalia, ut patet ex *citato c. cum tamen ibi sit duplex impedimentum, alterum ex defectu aetatis contrahentium: alterum ex defectu solemnitatis.* Ergo multo magis valebit ut sponsalia, inter puberes, vbi tantum est unum impedimentum, nempè ex defectu solemnitatis. Confirmatur *secundo*, quia, quando actus qui sit, includit actum, qui fieri poterat, tunc si est inualidus eo modo, quo fit, valet saltem eo modo quo fieri poterat, ut passim docent Canonistæ teste Couar. 4. Decretal. i. part. c. 3. Sed contractus Matrimonij includit contraactum sponsalium, ut docet Couar. ibid. Ergo si non valeat ut Matrimonium, valebit tamen ut sponsalia.

metens Posterius tenet Nauarr. & alij apud Sanctum *disp. 20. 8.*
 3. & seq. Probatur primo, quia quando ius resistit alicui
 contractui eum prohibendo & irritando tanquam contra
 bonos mores, tunc nulla oritur obligatio, neque ciuilis,
 neque naturalis, id est, nec in foro conscientiae, nec in
 externo, *i.e. non dubium. c. de legibus.* Sed ius Tridentini re-
 sistit Matrimonio clandestino, illud prohibendo & irri-
 tando. Ergo inde nulla oritur obligatio. Secundo, quia
 quando actus non valet ut agitur, seu geritur, tunc valet
 eo modo quo valere potest; si tantum est defectus ex par-
 te agentis, seu efficientis, ut contingit in Matrimonio im-
 puberum. Habet enim tale Matrimonium debitam for-
 mam, & solum claudicat ex defectu etatis contrahen-
 tium. Secus quando contingit defectus ex parte agentis
 & formae simul. Tunc enim planè corruit contractus,
 ut docet Bartol. *I. i. §. si quis ita. ff. de verbo. obligation.*
 At in nostro cau claudicat Matrimonium non solum
 ex parte contrahentium, quos Tridentinum reddit inhabi-
 biles: sed etiam ex parte formæ, quia deest solemnitas
 essentialis. Ergo nec valet ut Matrimonium, nec ut spon-
 salia.

Confirmatur, quia adhuc, quando contractus claudicat
 ex parte agentis tantum, si ius illi resistat, nec valet ut agi-
 tur, nec ut agi potuit, ut colligitur ex *c. quod in dubiis, de re-
 muneratione*, vbi, licet Clericus possit renunciare benefi-
 cium, si tamen renunciet in manus laici, renunciatio nulla
 est, eo quod ius illi resistat.

Hinc sequitur, et si Matrimonium clandestinum iuramen-
 to firmatum sit, non tamen vlo modo obligare; quia iu-
 ramentum contra bonos mores non obligat, ut habetur in
regul. iuris in VI.

3 Quæres, quid si clandestinum Matrimonium contra-
 hentes habeant animum obligandi se eo modo quo pos-
 sunt, an tunc saltē inducant obligationem sponsalium?
 Aliqui affirmant, quia licet non se possint obligare ad Ma-
 trimonium de præsenti, possunt tamen se obligare ad
 sponsalia, quia ius hoc non vetat. Ergo si intendant obli-
 gare se eo modo, quo possunt, erunt obligati ad sponsalia,
 non quidem ex contractu de præsenti, qui nullus est; Sed
 ex

ex sponsalibus in eo contractu implicitè contentis. Alij rectius negant, quia contractus externus omnino nullus est, ut concedunt ex vtraque parte. Interna autem intentio obligandi se, non habet vim obligandi, nisi exerno actu valido significetur & patesiat, quod hoc loco non fit.

4 Ad argumentum prioris partis. Respond. Matrimonium impuberum tametsi non obliget ut Matrimonium, obligare tamen ut sponsalia; quia nec est defectus ex parte formæ, neque ius illi resistit, immo ius facit talēm contractum, volens obligare ut sponsalia. At Matrimonium clandestinum inter puberes nullo modo obligat, tum quia defectus est ex parte formæ, tum quia ius illi resistit.

Ad primam Confirmationem Respond. in Matrimonio clandestino inter impuberes non esse duplex impedimentum, sed tantum unum ex defectu ætatis contrahentium. Nam Concil. Trident. solum irritauit Matrimonium clandestinum, quod olim erat validum, non autem quod erat inutilidum ratione ætatis (quod semper fuit ius.)

Ad secundam Confirmationem Respondeo, id verum esse de actu cui ius non resistit, & qui non claudieat ex parte formæ, sed tantum ex parte agentis.

5 Secunda Conclusio. Matrim. contractum inter impuberes, siue sit clandestinum, siue publicum, obligat per modum sponsalium, scilicet finali, de defens. impub. c. unico, eodem tit. in VI. Vbi etiam additur ex tali Matrimonio tanquam ex sponsalibus oriri publicæ honestatis impedimentum. Ratio conclusionis sumitur ex intentione contrahentium, qui videntur sponsalia contrahere, casu quo Matrimonium non valeret. Et hic locum habet, quod suprà est dictum quando actus includitur in eo quod fit, si non valet eo pacto quo fit, valere tamen meliori modo quo valere potest: præterim quando nec ius illi resistit, nec constat de contraria contrahentium intentione, nec est defectus ex parte formæ. Sed sponsalia virtute includuntur in contractu Matrimonij. Ergo si contractus Matrimonij non valet ut matrim. valebit tamen ut sponsalia, si aliunde nihil obstat, ut dictum est.

6 Dices, Tametsi contrahentes habeant intentionem, saltem implicitam sponsalia contrahendi, casu quo Matrimo-

non valeret ; hoc tamen non sufficit, nisi illa interna externis verbis explicetur. At per verba de præsenti non explicatur propriæ intentio contrahendi sponsalia. Ergo reuera non sunt sponsalia. Respond. Non sunt vera sponsalia ex natura rei, vt bene probatur, sed tantum ex iuris interpretatione. Ius enim concessit, vt verba de præsenti, quæ ex se non habent vim contrahendi sponsalia, censeantur tamen sufficere in tali casu.

7 Dices Secundo. Ergo tantum in foro externo sunt sponsalia, non autem in foro conscientiæ, id est, natura rei. Respondeo, hoc aliqui docent. Sed contrarium est probabilius, quia quando forum externum non innititur falsæ præsumptioni, tunc utrumque forum idem iudicat. Sed quando non constat de opposita intentione, iudex in foro externo iudicabit esse sponsalia, & ex his oriri publicæ honestatis impedimentum. Ergo idem in foro conscientiæ fentiendum est.

QVÆSTIO XI.

An contrahantur Sponsalia per subarrhatiōnem annuli?

1 **S**ensus est, an subarratio annuli sit sufficiens signum sponsalium etiamsi nulla verba intercedant.

2 Prima Conclusio. Subarratio ex se est signum æquiuocum. Ac ideo, si nihil præcesserit ex quo sponsalia, vel Matrimonium præsumi possit, neutrius signum erit. Probatur, quia ex aliis causis, vt ex amore turpi fieri potest. Vide D. Sotum in 4. distin. 27. quæst. 2. art. 1. Et Panormit. c. finalis n. 7. de despof. impub.

3 Secunda Conclusio. Si consuetudo loci sit, vt annuli traditio significet sponsalia vel Matrimonium, præsumitur iuxta loci consuetudinem, Glossa c. fæminæ. 30. quæst. 5. in fine. Antoninus c. final. num. 8. de despof. impub. & alij passim.

4 Tertia Conclusio. Si verba vnius præcesserint, immisio annuli & receptio operatur verbum expressum alterius & consensum. Vnde si verbum Matrimonij processit (ego te accipio in meam) operatur in Matrimonium. Si autem sponsalium, sponsalia. Non tacens consentit ipso factæ.

facto dum annulum recipit. *Glossa tue, de sponsal. & alibi.*
Addunt aliqui, si annulus ponatur in medio digito, præsumi Matrimonium. Si in alio digito, sponsalia. Henriquez lib. 11. c. 13. n. 6. Et Panorm. c. finali, de despōns. impub. Qui etiam addit attendendam esse loci consuetudinem.

5 Quarta Conclusio. Quando habito tractatu inter amicos de Matrimonio contrahendo misit Sponsus arphas, vel iocalia, nihil aliud exprimens, & Sponsa acceptauit, tunc sunt sponsalia. Quia hoc est sufficiens signum mutuae promissionis, quando Sponsæ de tractatu amicorum constitit. *Glossa c. tue, de despōns. Palud. in 4. d. 27. q. 1. art. 1. Henriq. loco citato.*

6 Quinta Conclusio. Si, cum tractaretur de Matrimonio contrahendo, vir verbis promiserit Matrimonium; & foemina requisita sponte manum dederit ad fidem recipiendam: tunc sunt sponsalia, quia illud est sufficiens signum re-promissionis. Tacens enim consentire censetur, etiam ubi agitur de obligatione personæ contrahenda, si aliquis actus positius concurrat, ut tradit Paludan. *loco citato. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 18. Rosella & Sylvest. v. Sponsalia.*

QVÆSTIO XII.

An parentes possint contrahere Sponsalia pro filiis?

1 **H**oc dupliciter intelligi potest. Primo, an pro filiis præsentibus & tacentibus. Secundo, an pro absentibus. Vtrumque etiam queri potest de iis qui parentes non sunt.

2 Prima Conclusio. Parentes validè contrahunt sponsalia, vel matrimonium pro filiis præsentibus, quando intellegunt quid agatur, & non contradicunt, ut expressè habetur c. unico, §. finali, de despōns. impub. in VI. Et ratio sumitur ex l. isti quidem, ss. de eo, quod metus causa. Et ex Glossa ibid. quia parentes plus diligunt filios, quam seipso. Ergo præsumitur, rectè eos filiis consulere. Ergo præsentia, & taciturnitas filiorum iure optimo consensus reputatur. Vide Nauarr. cap. 22. num. 58.

3 Dices. Taciturnitas filiorum non videtur esse sufficiens

G g g 1 signum

842 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
signum consensus; quia potest fieri, ut præ verecundia non audeant loqui & contradicere. Respondeo. Ideo aliqui sic limitant: nisi filius metu reuerentiali parentum taceat. Hæc tamen limitatio parum prodest in foro conscientiæ. Si enim defuit internus consensus, nihil actum est. Si vero is adfuit, pendet valor matrimonij, vel sponsaliorum ex cognitione; an talis metus fuerit reuerentialis, ut annulet matrimonium vel sponsalia. De quo dicemus in materia de consensu ad matrimonium requisito. Proderit tamen, ut in foro externo ex ea taciturnitate non presumatur consensus.

4 Dices secundo. Parentes iure canonico prohibentur contrahere sponsalia pro filiis ratione vtentibus, c.1. de despons. impub. Vbi Pontifex ponit differentiam inter filios adultos & non adultos; quod pro his possit pater contrahere, non autem pro illis. Respondet Sanchius lib.1. disputation. 22. §. 5. Non constitui illam differentiam quoad iuris effectum; sed tantum quoad decentiam & honestatem. Cum enim filij adulti de se consentire possint, non decet parentes pro illis contrahere. Sed alia mihi videtur mens Pontificis, loquitur enim de adultis filiis qui non consentiunt. Itaque differentiam in eo ponit, quod pater validè contrahat sponsalia pro filiis, qui defectu ætatis non possunt consentire. Non autem pro eis, qui, cum ætatem habent, non volunt consentire.

5 Quæres, an soli parentes possint validè contrahere pro filiis præsentibus & tacentibus. Aliqui putant etiam alios posse. Ita Glossa c. unico, de despons. impub. in VI. §. fin. Ratio est, quia agitur de re naturaliter appetibili & fauorabili, in qua tacens consentire videtur, ut dictum est supra quest. 3. Alij rectius negant, quia in C.unico citato conceditur parentibus tanquam aliquid speciale, ut possint contrahere pro filiis. Ratio, quia parentes censentur melius consulere filii filiis quam alijs. Et quamuis matrimonium appetibile sit; tamen contrahere cum hac, vel illa persona potest esse nocium & onerosum. Vide Paludanum in 4. distinct. 27. quest. 1. art. 1.

6 Quæres secundo, an solus Pater, an etiam Mater possit dicto modo contrahere pro filio? Respondeo, uterque potest;

potest; quia *civato* fit mentio de parentibus, sub quo nomine uterque parens includitur. Et ratio est, quia decisio illius textus non innititur patriæ potestati (quæ est tantum iuris ciuilis) sed amori paterno, qui saepe maior est in matre, quam in patre.

7 Secunda Conclusio. Probabile est, idem dicendum esse de filiis absentibus & tacentibus, quod dictum est de præsentibus; nempe valere promissionem parentum pro illis factam. Tametsi contrarium sit probabilius. *Prius* tenet D. Thom. & Palud. in 4. distincl. 27. quæst. 1. artic. 1. & 2. Et probatur, quia est eadem planè ratio de absentibus & præsentibus. Nam si in uno casu sufficit taciturnitas filiorum ad consensum exprimendum, sufficiet etiam in altero. *Posteriorius* tenet Ioan. Andr. Corduba & alij apud Sanch. disputatione vigesimatercia. Et colligitur ex *c. unico citato*, vbi Pontifex ponit differentiam inter sponsalia à parentibus nomine filiorum præsentium, & tacentium contracta; quo casu dicit valere, si non contradixerint: Et inter contracta filiis absentibus, q̄o casu dicit non valere, nisi filii certiores facti tacite, vel expresse ea ratificauerint. Ergo in hoc casu ultra taciturnitatem requirit alia expressa, vel tacita signa consensus. v.g. per munuscula, cohabitatione, &c. Ratio, quia quando filius est præsens & intelligit, quid nomine suo agatur, magis præsumitur reclamaturus si dissentiat, quam dum absens est: quia tum parum curat, & putat se non consentire per solum silentium. Hinc sequitur in hoc casu nihil interesse, siue parentes contrahant pro filiis absentibus & tacentibus, siue alij: neutri enim in hoc casu validè contrahunt.

8 Quæres an parentes vel alij, qui sic promittunt pro absentibus, tametsi non contrahant valida sponsalia, obligentur tamen ad aliquid ratione promissionis factæ. Aliqui negant, quia nemo alienum factum promittendo obligatur, *i.e. stipulatio ista, ff. de verb. obligat.* Atqui parentes promittentes matrimonium pro filiis, promittunt alienum factum. Ergo non obligantur. Respondeo, in iure excipiuntur aliqui casus, in quibus promissio alieni facti obligat promittentem, inter quos est etiam promissio alieni matrimonij. *Primus* est, quando quis suos hæredes aliquid daturos,

daturos, aut facturos promittit, *l. cit. & l. final.* *C. de contra-*
benda, & committenda stipulatione. Secundus, quando pro-
missio fit in iudicio, velati, si quis promittat fore, ut ali-
quis iudicio sistat, vel rem iudicatam ratam habeat. Tunc
enim promittens tenetur ad interesse, nisi alius adimpleat,
l. quoties quis, ff. de verb. oblig. Et *l. 2. ff. ad ratum haberet.* Tertius,
quando quis promittit rem pupilli incolumem seruandam,
l. prætoriæ, ff. de prætor. stipulation. Quartus, quando promis-
sioni facti alieni poena adiicitur: ut si promittens ad ali-
quam poenam se astrinxerit, nisi alius adimpleat. Tūc enim
facti proprij promissio est, casu quo alias non efficiat, *l. sta-*
putatio ista, ff. de verb. obligat. Quintus, quando est promis-
sio facti illius, quam promissor cogere potest, ut filij vel
serui. *Glossa C. Eutherius, dist. 91.* Sextus, quando est pro-
missio alieni Matrimonij. *Glossa c. unio, 30. quest. 2.* Tunc
enim promissor tenetur omnem diligentiam adhibere, ut
alter præstet, quod ipsius nomine promisit. *Quod si alter*
omnino non velit, promissor liber manet. Vide Molin.
tract. 2. de iure, disputat. 268.

Q V A E S T I O X I I I .

An verba promissionis debeant fieri in personam
determinatam?

ISensus est: an sint sponsalia, quando Pater habens
multas filias, promittit alicui aliquam ex illis, & om-
nes filiae consentiunt.

Secunda Prima Conclusio. Non sunt sponsalia, nec oritur publi-
ca honestas, quando verba promissionis non feruntur in
personam certam. Ut si Pater promittat se vnam ex pluri-
bus filiabus datirum. Est communis. Et probatur: quia
sicut matrimonium necessariò debet esse cum persona
certa, sic etiam sponsalia, quæ eius initium sunt.

Secunda Conclusio. Quando Pater promittit alicui
vnam ex pluribus filiabus, quæ omnes consentiunt: tunc
liberum est ei donare vnam quam vult. *Electio enim est*
promissoris. Regula 70. de regulis iuris in VI. Et colligi-
tur ex *l. plerumque, ff. de iure dotum.* Si autem, antequam
aliquam ex filiabus offerret, omnes, excepta una, more-
rentur,

rentur, teneretur superstitem dare: quia non posset aliter fidem implere. Vide Anton. 3. part. tit. c. 18. Sylvest. *Sponsalia, quest. 6.*

4 Quæres primo. Quid si antea cum promisit, non habuit animum dandi illam, quæ nunc superstes est, sed aliquam aliam? Respon. in foro externo tenebitur illam dare: quia ibi statur verbis externè prolatis. At in foro conscientiæ distinguuntur. Si enim absolute promisit, volens se absolute, & generatim obligare, quamvis animum haberit dare certam, tenebitur dare superstitem. Si autem externa promissio non fuit omnino vera, & tantum habuit animuri obligandi se ad certam tradendam: tunc, si aliud scandalum, aut damnum non sequatur, non tenebitur superstitem dare, quia fieri promittens matrimonium non tenetur in foro conscientiæ implere, nisi aliud quid obstat.

5 Quæres secundo. Si sponsus copulam habuit cum aliqua ex filiabus à Patre promissis, an Pater teneatur illam dare? Aliqui affirmant, quia iam nullam aliarum potest dare, ob affinitatem cum illis sororibus contractam: Alij rectius distinguunt. Nam si filia cognita determinate contraxit sponsalia cum cognoscente, firma sunt: Si non, tunc Pater nec illam, nec aliam tenetur dare. Non aliam, quia impedit affinitas. Non illam, quia poterat eligere: Nec delictum alterius potest illum priuare potestate eligendi.

6 Tertia Conclusio. Si quis promittat unam ducere ex pluribus consentientibus, potest eligere quam voluerit, & electa tenebitur, quia omnes repromiserunt, & promissoris est electio, ut dixi in secunda conclusione.

7 Quæres primo, si quis promittat, se unam ex pluribus ducendum, & postea aliquam ex illis carnaliter cognoscat, an sponsalia illa transeant in matrimonium, attento solum iure antiquo? Aliqui negant, quia sola sponsalia vera transeunt in matrimonium per copulam, c. is qui fidem, de sponsal. Hæc autem sunt vera sponsalia, ut dictum in prima conclusione. Ergo non transeunt in matrimonium. Alij rectius affirmant, quia, qui promittit se unam ducendum ex pluribus quæ consentiunt, potest eligere quam vult, ut dictum est. Ergo quamvis ante electionem non sint

vera

346 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
vera sponsalia, iuxta conclusionem primam; Sunt tamen
vera post electionem. Atqui per copulam censetur vnam
eligere. Ergo tunc sunt vera sponsalia, & consequenter
transiunt in matrimonium.

8 Quæres secundo, an idem dicendum sit attento novo
iure Tridentini? Respondeo negatiè, quia secundum hoc
ius non contrahitur verum matrimonium, nisi coram Pa-
rocho & testibus. Ergo supra dicta sponsalia non possunt
transire in matrimonium per solam copulam; quia des-
bet solemnitas à iure requisita.

Q V A E S T I O X I V .

De obligatione sponsalium?

1 HÆC obligatio potest oriri ex triplici capite. *Primo*, ex
iure naturali, quo tenemur præstare quod promi-
simus. *Secundo*, iure ciuili vel canonico, quo promissor
per Iudicem compelli potest ad contrahendum matrimo-
nium promissum. *Tertio*, ex partium conuentione, appo-
nendo certam pœnam ei, qui fidem non seruat. Hic agen-
dum est de prima obligatione, postea de cæteris agetur.

2 Prima Conclusio. Quando quis promittit alteri futu-
rum matrimonium, iure naturali obligatur sub peccato
mortali ad præstandum promissum. Est communis senten-
tia. Ratio autem patebit ex sequentibus.

3 Secunda Conclusio. Hæc naturalis obligatio sponsa-
lium oritur ex triplici virtute, veritatis, fidelitatis & iu-
sticie. Et quidem veritas ad duo nos obligat. *Primo*, vt
syncerè non fictè agamus. *Secundo*, vt opere præstemus
quod promissum est. Vtrumque enim requiritur, vt quis
sit verax in dicendo & promittendo. *Cajet. 2.2.q.113, art. 1.*
Et colligitur ex D. Thom. *ibid. q.80. art. unico ad 3.* Virtus
fidei, seu fidelitatis ad vnum nos obligat, nempe, vt, quod
promisimus, opere præstemus. Et quamvis hæc obligatio
videatur esse eadem cum posteriore obligatione veritatis,
reuera tamen dissent. *Primo*, quod obligatio veritatis la-
tius pateat quam fidelitatis. Hæc enim solum habet lo-
cum in affirmatione promissoria: illa etiam in non pro-
missoria. *Secundo*, quod obligatio fidelitatis sit maior
quam

quam veritatis. Qui enim promittit se aliquid facturum, magis obligatur, quam si sine promissione affirmaret. Nam qui solūm affirmat, vno tantūm titulo obligatur ad præstandum, ne videlicet sit mendax in verbis. Qui autem promittit, duplii titulo obstringitur; tum ne sit mendax in verbis, tum etiam ne violet ius alterius, quod illa habet ad rem promissam. Nam promissor non solūm constituit se debitorem, ut caueat mendacium, sed etiam tribuit alteri ius ad exigendum promissum. Virtus iustitiae, quæ habet locum in contractibus & promissionibus onerosis obligat nos, ut tribuamus vnicuique suum, ratione contractus.

¶ Quæres primo, quanta fit obligatio quo oritur ex hac triplici virtute? Respond. virtus veritatis, qua teneris sincere promittere, & promissum præstare, ne sis mendax, per se obligat tantūm sub veniali: At per accidens ratione damni, vel iniustitiae potest obligare sub mortali. Ratio, quia mendacium, si nemini noceat, non est nisi veniale. Si tamen noceat grauiter, est mortale. Vide D.Thom.2.2.q.110. art.2. & 4. Virtus fidelitatis qua teneris promissum præstare, ne sis perfidus, per se obligat sub mortali, nisi paruitas materiæ excusat. Ratio, quia violare ius alterius in re graui est peccatum mortale. Sed virtus fidelitatis obligat nos, ne violemus ius alterius, quod habet ad rem promissam. Ergo hæc obligatio in re graui est sub peccato mortali. Vide Nauar. c.18.n.6. Virtus iustitiae, qua tenemur promissum præstare in pæctis, & contractibus onerosis, semper obligat sub mortali, nisi etiam paruitas materiæ excusat. Ratio, quia iustitia ad hoc obligat, ut des alteri, quod illi iure debetur. At non dare alteri, quod illi iure debetur, est mortale in re graui, quia est grauis iniustitia. Vide S.Thom.2.2.q.59.art.4.

Porrò hæc obligatio iustitiae, tametsi affinis sit obligationi fidelitatis (vtraque enim alstringit, ut non violes ius alterius) tamen reipſa ab ea differt, & multo maior est. Nam maius ius est, quod oritur ex cōtractu oneroſo, quam quod ex simplici, aut gratuita promissione. Primo, quia promissio potest facilius reuocari, quam contractus. Secundo, promissio solūm tribuit ius remotum ad rem promissam,

348 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
missam. *Tertio*, si promissor non soluat, non tenetur ad compensationem lucri cessantis: at contrahens, si violer contractum, tenetur. *Quarto*, promissio non impedir, quo minus res promissa dicatur postea gratis dari: contractus autem impedit donationem gratuitam. *Quinto*, maior est iniuria, si quis centum aureos ex contractu oneroso debitos non soluat, quam si ex liberali tantum promissione debeantur.

Ex dictis constat, quanta sit obligatio promissionis in sponsalibus; cum enim sit onerosa promissio, obligat ex virtute veritatis venialiter, & ex virtute fidelitatis ac iustitiae mortaliter, praesertim cum sit in re graui. Paruitas enim materie hic non excusat.

5 *Queres secundo*, quando promissor, qui futurum matrimonium alteri promisit, teneatur adimplere promissum, si nullus certus terminus temporis prefixus sit? Aliqui putant statim teneri habita opportunitate. Probatur *primo* ex *l.in omnibus obligationibus, ff. de reg.iuris*, quae sic habent: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur. Item ex Lcum qui Calendis, ff.de verb.oblig.* quae sic habet: *Quoties in obligationibus dies non ponitur, praesenti die pecunia debetur.*

Probatur *secundo*, quia communis & vera sententia est, eum, qui votum religionis emittit nullo prefixo termino, statim teneri ad implendum, ubi commodè potuerit. Antoninus 2. p.t.ii.c.2. Pal. in 4. dist.38.q.3.art.2. & alij passim; quia per hoc votum dedicat vobis totum vitæ suæ tempus Deo, & ita tenetur statim adimplere, ne Deum defraudet, si differat. Est autem pars ratio, quando quis alteri promittit matrimonium, nullo prefixo termino, quia promittit se toto vitæ suæ tempore cum altero victurum. Alij tamen rectius docent, promissorem in tali casu non statim teneri ad implendum, sed tantum requirente eo, cui promissio facta est, si commodè potest. Hoc enim seruatur in omni debito, quando dies prefixus non est. Nam debitor non tenetur soluere, nisi requisitus a creditore, *l.debitores praesentes, c.de pignoribus*. Et *gloss.ibid.* Hoc tamen limitandum est pro foro conscientiae ita: nisi creditor ex timore renerentiali non audeat petere; aut, nisi oblitus sit, a quo debeat

debeat petere. Tunc enim debitor censetur esse in mora, etiam si alter non petat. Nauar. cap. 17. n. 79. Si ergo aliquis promisit alteri matrimonium sine praefixo termino, non tenetur implere, nisi alter petat, præsertim si audeat petere. Nec leges citatæ contrarium docent. Hoc volunt solum in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die deberi, si alter exigat. Nec est simile de voto, quia Deus, qui est creditor in voto; semper exigit promissum.

QVÆSTIO XV.

An cogi possit per Indicem, qui est in mora sine legitima causa?

1 **P**rima Opinio est, non esse cogendum, sed tantum monendum, & si monitis non acquieuerit, relinquendum. Ita Angelus V. *Spolia*, n. 2. Armilla *ibid.* n. 7. Probatur primo ex c. *requisuit*, de *sponsalib.* vbi Pontifex expressè definit mulierem, quæ etiam cum iuramento promisit, monendam esse potius, quam cogendam. Et rationem addit Lucius Papa, quia matrimonia debet esse libera, & coactiones solent habere difficiles exitus. Secundo, quia qui cogitur per metum excommunicationis contrahere matrimonium, in qualidè contrahit, cum talis metus cadat in constantem virum. Ergo etiam qui in foro cōtentioso per iudicem compellitur.

2 Secunda Opinio. Tunc solum cogendus est, quando sponsalia iuramento confirmavit. Ita Dom. Sotus in 4. dist. 27. q. 2. ad 3. Et Figuerias in *institut.* Theolog. c. 16. §. 7. V. 7. Quibus fauet D. Thom. in *supplm. quæst. 43. art. 1.* & 2. Probatur ex cap. ex *litteris Syluanis*, de *sponsalibus*, vbi Pontifex rescribit compellendum esse promissorem per censuram Ecclesiasticam, si promissionem iuramento firmauerit; quia contra iuramentum venire periculosest. Vide Gloss. c. *de illis qui intra, de despensi. impuberum.*

3 Tertia Opinio est, prius monendum esse, & si renuat, cogendum esse per censuram aut carcerem, nisi attentis circumstantiis prudenter timeri possint grauia incommoda, vel scandala ex inuitis nuptiis. Et hoc verum esse, siue sponsalia firmata sint iuramento, siue sola fide

promissionis, Glossa c.2. de spons. Henr. lib.ii. cap.13. n.4.
Nauar. num.4. consil. in secunda editione, tit. de despous. im-
puber. conf. 2.

4 Prima Conclusio. Promissor, si monitus non vult con-
trahere matrimonium, cogendus est, siue sponsalia iura-
ta sint, siue non. Probatur primo ex c. ex literis 1. de despous.
vbi Pontifex definit vtrumque cogendum esse, etiamsi iu-
ramentum non accesserit. Secundo, quia Iudex ex officio
tenetur compellere ad reddendum suum cuique, & ex iu-
stitia debitum. At contrahens sponsalia tenetur ex iusti-
tia seruare fidem, etiamsi non iurauerit. Ergo Iudex de-
bet ipsum compellere. Tertio, quia Ecclesia non tantum
compellit iurantem, sed & simpliciter promittentem, c.1.2.
3. de pactis, c. iuramenti 22. q.5. Nec obstat c. citatum ex literis
Syluani, vbi dicitur cogendus qui iurauerit: quia narrat
facti contingentiam, non autem vult, ut soli iuramento ius
compellendi innitatur.

obstat 5 Secunda Conclusio. Non tamen est compellendus,
quando grauia scandala, aut perpetuae dissensiones, aut
diuertia timentur, iuxta opinionem tertiam. Probatur
primo ex c. ex literis Syluani, vbi disertè habetur, cogendum
esse promissorem, nisi rationabilis causa obstat. Et sic
etiam intelligas c. requisuit, citatum, vbi dicitur non esse
cogendus, scilicet, quando rationabilis causa obstat. Hoc patet ex verbis seqq. cum coactiones difficiles exitus so-
leant habere. Secundo probatur, quia Iudicis est compel-
lere, quando expedit fini matrimonij; cum ex fine desu-
matur necessitas mediorum. Sed in hoc casu cogere, non
expedit fini matrimonij. Tertio, quia Iudex coactionem
denegans in tali casu faciet actori, quia vitat ipsius graue
damnnum. Quarto, quia minus malum sœpe permittendum
est ad vitandum maius. At maius malum est, scandala &
perpetuas inimicitias oriri, quam fidem sponsaliorum
frangi. Ergo hoc permitti potest, ut illud vitetur.

6 Quæres, an solus iudex Ecclesiasticus, an etiam ciu-
lis possit cogere ad seruandam fidem sponsalium? Resp.
vtrumque posse, modo de sponsalium valore non agatur,
quia tunc solus Ecclesiasticus Iudex adeundus est: Si au-
tem sponsalia certa & legitima sunt, potest Iudex securi-
taris

Jaris ad ea compellere, sicut cogit ad aliorum contractuum fidem seruandam. Ita Abbas c. ex literis 2. de spons. n. 4. Rossella V. sponsalia, num. 3.

Quod ante obiiciebatur, eum inualide contrahere matrimonium, qui metu excommunicationis compellitur: distinguo. Nam metus excommunicationis vel iuste incutitur, vel iniuste. Si iniuste, cadit in constantem virum, & irritat contractum. Si iuste, contra se res habet.

Q V A E S T I O X V I .

An in sponsalibus apponi possit poena in eum qui fidem frangit?

1 **P**OENA hæc potest esse duplex. *Primo* propriè dicta, quæ consistit in proprio patrimonio minuendo, ut cum statuitur, ut frangens fidem sponsarium numeret certam summam pecuniae. *Secundo* impropriè dicta, quæ consistit in lucro perdendo, seu potius in non acquirendo lucro; ut cum legatur vel promittitur aliquid Titio, si uxorem duxerit, quo debeat carere, si non duxerit. Hic agimus de priori poena, an validè adiiciatur contractui sponsarium. Potest autem quadrupliciter adiici. *Primo* ab ipsis sponsis. *Secundo* à parentibus vel consanguineis sponorum. *Tertio* ab extraneis. *Quarto* mixtim, de quibus sint conclusiones.

2 **P**rima Conclusio. Poena, quæ per ipsos sponsos apponitur contractui sponsarium, est plane irrita; ac proinde neuter sponorum, etiamsi fidem non seruet, tenetur eam soluere. Est communis sententia, & expressè definitur in c. *Gemma mulier, de sponsal.* l. *Titia,* 134. ff. de verb. oblig. quæ sic habet: *In honestum visum est vinculo pœnae matrimonia obstringi, siue futura, siue contracta.* Item l. fin. c. *de sponsalibus,* quæ sic habet: *Si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires habebit;* cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat. Ex quibus legibus patet ratio conclusionis, tum ratione fugienda in honestatis, tum ratione coactionis matrimonialis.

3 **S**econda Conclusio. Non solum est irrita poena, quæ per ipsos sponsos, sed etiam quæ inter consanguineos

852 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS

horum apponitur; cum utrobique sit eadem ratio prohibitionis. Sicut enim in honestum est, & contra libertatem matrimonij, ut sponsi obstringantur ad matrimonium contrahendum metu poenae ab ipsis soluendae; sic etiam metu poenae a consanguineis soluendae. Vnde in *t. Gemma* irritatur poena constituta a parentibus sponsorum. Vide Gloss. in *t. Titia, in principio.* Bart. ibi. num. 1. Idem dicendum est, quando poena apponitur inter amicos, qui tam arcte coniuncti sunt sponsis, ut probabile sit, eos timore ductos, ne amici poenam soluant, contracturos matrimonium. Item: quando promittentes poenam, possunt graue dampnum sponsis inferre, nisi contrahant. Item: quando poenam promittentibus sponsi subditi sunt. v.g. tutoribus. Nam in his casibus semper periculum est, ne contrahatur matrimonium timore alicuius poenae & detrimenti.

4 Quæres, an haec conclusio simpliciter intelligatur de poena quocumque modo interposita inter parentes, vel consanguineos sponsorum? Respondeo poena haec dupliciter spectari potest, *Primo*, prout cadit supra matrimonium sponsorum, ut si parentes, vel consanguinei poenam apponant, nisi matrimonium sequatur. *Secundo*, prout cadit super factum ipsorum promittentium, id est, super curam, & diligentiam adhibendam a parentibus vel consanguineis, qui sub poena promittunt se curaturos, quantum in se est, ut matrimonium sequatur. Priore modo irrita est poena, quia inducit necessitatem matrimonij; non autem posteriore, quia non inducit. Nam si parentes, vel consanguinei faciunt quod in se est, & tamen sponsi non velint contrahere, liberi sunt a solutione poenæ.

5 Tertia Conclusio. Poena apposita inter extraneos, qui nec sanguine, nec amicitia, nec simili vinculo coniuncti sunt sponsis, valida est, quia non impedit libertatem matrimonij. Nam sponsi non magnopere curant, quæ ab extraneis geruntur. Hoc tamen intellige, si extranei absque dolo, nomine proprio spondeant poenam ex propriis bonis soluendam. Secus si mandato sponsorum, vel parentum promittant; quia tunc haberent regresum contra mandantes, & ex mandantium bonis soluenda esset poena: Et consequenter esset eadem ratio prohibitionis.

6 Quarta Conclusio. Non valet promissio pœnæ facta inter sponsum & extraneum, vt si sponsus promittat pœnam extraneo, nisi sponsalia perfecerit, quia impeditur matrimonij libertas. Secus esset, si extraneus promitteret pœnam sponso, quia non impeditur libertas matrimonij.

7 Quæres primo, Tametsi non sit valida pœna apposita contractui sponsalium, vt hactenus dictum, an saltem si alterius sponsorum interfit, & damnum patiatur, possit pœna exigi ratione interesse, in quantum interest, quando alterius culpa matrimonium non initur. Aliqui putant posse peti, vel exigi interesse, siue damni emergentis, siue lucri cessantis: vt, si sponsi intererat matrimonium perfici, eo quod sponsa locupletissima erat, nec tam locupletem inueniet. Alij putant neutrum posse peti, nisi sponsus violans fidem dolo inierit sponsalia, vt alter damnum illud patiatur. Probatur primo, quia sponsus ob solutionem interesse fiet timidior, ne à sponsalibus recedat: Et sic impeditur libertas matrimonij. Secundo, quia ius solùm concedit a fratribus sponsalitias, l. fin. c. de sponsalibus. Tertio, quia in l. Titia, ff. de verb. oblig. omnino irritatur pœna apposita, quæ tamen aliquo modo valeret, si ratione interesse exigi posset. Quarto, quia sciens, vel scire debens stipulationem pœnalem irritam esse, debet expensas factas imputare sibi innitenti stipulationi irritæ. Alij denique cum distinctione Respondent exigi posse interesse consistens in damno emergente, vt si alter sponsus ratione sponsalium expensas fecerat: non autem consistens in lucro cessante, quod ex matrimonio prouenire poterat. Hoc probabilius est; quamvis enim vi promissionis pœnæ non possit exigi interesse damni, cum illa promissio sit inualida, & nullam obligationem pariat; potest tamen exigi ratione iniustitiae à violante fidem admissæ. Nam iniustus fidei violator in omni contractu tenetur iure naturali ad restitutionem interesse: licet nulla promissio pœnæ præcesserit. Huic autem iuri naturali non potest obesse illa stipulatio pœnalis. Quamvis enim hæc stipulatio iure sit irrita; non tamen ideo amittitur ius naturale exigendi damnum subsecutum ab iniuste resiliente.

8 Ad *primum* argumentum contrarium Resp. non obesse illum timorem ortum ex poena, quae ex natura rei sponsalibus annexa est; sed ortum ex poena, quae planè extrinseca est. Hoc patet in simili. Nam sponsus non solum sit timidor propter poenam interesse, quae est connaturalis; sed etiam ob peccatum mortale, quod incurriteret si sine legitima causa resiliret. Sicut ergo timor ortus ex peccato mortali non obstat libertati matrimonij; ita nec timor ortus ex poena interesse. Nam utrumque tam peccatum mortale, quam poena interesse ex natura rei sequitur ex violatione sponsalium.

Ad *secundum*. Tametsi ius positium concedat solum artas, tamen ius naturale concedit restitutionem damni.

Ad *tertium*. Stipulatio poenalis est irrita, nec virtute illius potest exigi interesse, sed ratione iniustitiae.

Ad *quartum*. Si interesse debetur ratione stipulationis irritae, tunc stipulans deberet sibi imputare. Nunc autem non debetur illius ratione, sed ob admissam iniustitiam, ut dictum est.

9 Quæres *secundo*. Cum poena sponsalibus adiecta non sit valida, nec exigi possit, an recipiens teneatur illam restituere. Aliqui affirmant, quia recipiens nullum ius habet ad poenam, cum promissio irrita nullum ius pariat. Ergo recipiens tenetur restituere. Alij putant non teneri donec iuridicè condemnetur. Ratio, quia iura solum irritant promissionem soluendi poenam; ita ut promittens vi promissionis non teneatur soluere; non tamen decernunt impediri translationem dominij in recipientem, nec eum inhabilem faciunt ad retinendum quod recipit. Ergo cum iura sint poenalia, non debent ad hoc extendi. Confirmatur *primo* ex L. generaliter, 26. ff. de verb. oblig. vbi dicitur, stipulationes turpes nullius esse momenti: Et tamen multi docent eo sensu nullius esse momenti, ut stipulans non teneatur soluere: si tamen soluerit, recipiens immunis sit à restituzione. Secundo à simili; quia legatarius in testamento minus solemnis relictus non teneatur legatum receptum restituere, ut multi docent; cum tamen haeres non teneatur illud soluere. Conceditur tamen soluenti repetitio poenæ solutæ; quia, quamvis turpiter

turpiter stipulatus fuerit, tamen nec turpiter, nec pro re turpi soluit.

QVÆSTIO XVII.

An apponi possit pœna impropriè dicta iuitans ad matrimonium?

HÆc pœna consistit in lucro perdendo, vel non acquirendo; & potest dupliciter apponi. *Primo* ad ineundum certum & determinatum matrimonium. *Secundo* ad retrahendum à matrimonio. De priori casu hic agitur; & quæstio est: an possit apponi talis pœna seu conditio, qua quis iuitetur ad matrimonium. Ratio dubitandi exurgit ex duobus textibus qui videntur inter se pugnare. Nam in iure canonico *c. de illis, de conditionibus appositis,* censetur hæc cōditio valida & honesta: *Ego te in uxorem accipiam, si tantum mibi donaueris.* At in iure ciuili contrarium decernitur, *i. si ita stipulatus fuero, 97. ff. de verb. oblig.*

2 Prima Conclusio. Pœna consistens in lucro non acquirendo, si ab ipsis sponsis apponatur, aliquando valida est, aliquando irrita. Potest enim dupliciter apponi. *Primo* sic: *Promitto tibi centum, si mecum contraxeris.* *Secundo* sic: *Ego te in uxorem accipiam, si centum mibi donaueris.* Prior conditio censetur turpis, quia præsumitur apponi intuitu libidinis. Posterior honesta, quia præsumitur apponi causa dotis. Si tamen in priori casu cesseret turpitudinis præsumptio, valida erit promissio, ut si vir sit ignobilior aut senior. Tunc enim censetur promittere sponsæ in compensacionem iuuentutis seu ignobilitatis. Vide Sanchium hic prolixum & implicatum *lib. I. disput. 23. num. 3. & seqq.*

3 Secunda Conclusio. Pœna consistens in lucro non acquirendo, si non à sponsis, sed ab aliis apponatur, validæ est, ut si aliquid legetur Mariæ ea conditione, ut Titio nubat, &c, si non nupserit illi, non acquirat lucrum illius legati. Est communis, & habetur in *I. Titia, ff. de conditionibus & demonst.* Et *I. I. C. de institutionib. & substitut.* Ratio autem est, quia hoc non est compellere, sed iuitare ad matrimonium, quod per se honestum est.

Nota. Testator potest dupliciter facere tale legatum.

Primo, per viam conditionis, ut si dicat aut scribat: *Ego te instituo hæredem, aut legatarium, si duxeris Mariam.* *Secundo*, per viam modi; ut si dicat: *Ego te instituo, &c. vt ducas Mariam.* Quæritur ergo, an utroque modo validè fiat tale testamentum vel legatum? Aliqui negant de posteriore: quia quando relinquitur hæreditas, aut legatum per viam modi, & non conditionis, cùm modus non suspendat, statim acquiritur hæreditas aut legatum, cum obligatione seruandi modum, quo non seruato hæres, aut legatarius priuatur acquisita hæreditate vel legato. Sed priuari acquisita hæreditate, aut legato est pœna propriè dicta, consistens in proprio patrimonio minuendo. Ergo est irrita. Respon. Priuari lucro acquisito est pœna propriè dicta, nisi acquirens priuetur ab eo qui lucrum concessit, non absolute, sed adiecto modo vel conditione.

Hæc secunda conclusio duobus modis limitanda est. *Primo*, ut valeat conditio contrahendi matrimonium cum certa persona, nisi apponatur in legitima. Cùm enim hæc legitima sit debita lege, ac proinde nullam gratiam testator faciat, nullam patitur conditionem. *Secundo*, quando grauatur hæres, vel legatarius ad ducendam personam dignam. Si enim indigna sit iis nuptiis, conditio reiicitur, legatum tamen, & hæreditas manet. Ita expressè *I. cùm ita legatum, ff. de cond. & demonst.* Et ratio ibidem insinuat, tum quia id possumus, quod honestè possumus: tum quia durior est hæc conditio quam viduitatis.

4 Quæres primo. Si grauatus contrahere cum persona nobili, prima vice ducat nobilem, deinde viduus effectus ignobilem ducat, an amittat legatum vel hæreditatem. Aliqui negant amittere, quia sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice, *I. bones, ff. de verb. significat.* Alij rectius affirmant, quia includitur ibi conditio negotiua, ut non ducat aliam quam nobilem. At conditio negotiua est perpetua. Ergo omnibus vicibus seruari debet. Nec obstat *I. bones*, quia sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice, nisi includat conditionem negotiua, ut in hoc casu fit; tunc enim de omnibus vicibus verificari debet.

5 Quæres secundo. Si grauatus certam aliquam ducere, primè

primò renuat, ac deinde pœnitentia ductus annuat. An amittat legatum? Respond. cum distinctione. Nam si testator priuat illum ipso iure, si, vbi primum requisitus fuerit, nolit conditioni parere, iam pœnitentia subsequens non proficit, quia statim est alteri successori ius acquisitum. Si autem non priuat, & omnia integra sint (nondum translata in alium) proderit pœnitentia.

6 Quæres tertio. Si grauatus Mariam ducere primò aliam ducat, deinde viduus velit Mariam ducere, an perdat legatum? Aliqui negant in simili casu, dum afferunt cum, cui aliquid legatur ea conditione ut Monachus fiat, legatum consequi, si primò vxorem ducat, & ea defuncta Religionem ingrediatur. Alij rectius docent econditionem in utroque casu iam defecisse, & consequenter legatum amisum esse; vt colligitur ex l. b. ac conditio filiae meae. Et l. cùm ita. Et l. hoc genus. ff. de condit. & demonst. Hoc autem intellige, modò tempore delatae successionis, vel post hanc delatam non pareat conditioni. Tunc enim irrecuperabiliter amittit legatum, quia conditio deficit. Secus si tempore delatae successionis parere velit conditioni, quia iam prius matrimonium dissolutum est, & tunc vult ingredi Religionem, vel illud inire matrimonium quod testator iniunxit. Nam conditiones semper respiciunt tempus delatae successionis, l. interuenit. ff. de legatis praestandis.

7 Quæres quarto. Si grauatus aliquam ducere, velit, illa autem nolit, & post pœnitentia ducta annuat, grauatus autem tunc renuat, an amittat legatum vel hereditatem? Aliqui negant, quia conditio censetur impleta cum per ipsum non steterit. Alij affirmant, quia adhuc potest conditioni parere. Alij distinguunt. Si enim grauatus duxit iam aliam vxorem, & obtinuit iam legatum, vel hereditatem iam adiit, non amittit. Si autem nec aliam duxit, nec obtinuit legatum, nec hereditatem adiit, non consequetur, quia adhuc potest parere conditioni.

8 Quæres quinto. Si grauatus cum aliqua contrahere sub pena amissionis legati, vel hereditatis, an amittat, si sine culpa ipsius conditio deficiat, quia scilicet altera non vult, vel prius obiit, quam ipse in mora constitutus fit. Respond. primo, si conditio mixta (qualis est haec pendens à duorum

358 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
voluntate) deficiat ex culpa alterius, cum quo contrahendum erat Matrimonium, quia scilicet non vult, habetur pro impleta, 1. in testamento. 2. ff. de conditionib. & demonstrat. Et 1. 1. c. de institution. & substitution. Resp. secundo. Si conditio mixta perficiatur sine culpa utriusque partis, v. g. per mortem foeminæ, tunc perit legatum, vel institutio, 1. legatum. c. de conditionib. insertis. Et 1. in testamento 2. de conditionib. & demonstrationib. Hoc tamen intellige, nisi conditio sit apposita fauore alimentorum, aut pœna causa; Ut si pueræ pauperi relictum sit legatum dotis, ea conditione, ut Titio nubat. Tunc enim si conditio deficiat ob mortem Titij, legatum succedit loco alimentorum. Respon. tertio, quando conditio mixta non impeditur à contrahentibus, sed ab aliquo tertio, qui verbi gratia, Matrimonium impedit, tunc censetur non impleta. Legatarius tamen actionem habet ad interesse contra impedimentum. Hoc tamen intellige primo, nisi impediens soluendo non sit. Nam tunc habetur pro impleta. Tertio. Si impedientis consensus non requiratur, verbi gratia, parentis: Vide Sanchium 1. 1. disputation. trigesima terzia, numero vigesimo septimo.

Q V A E S T I O X V I I I .

*An possit apponi pœna impropiè dicta retrahens
a Matrimonio?*

1. **C**onditio apposita, quæ prohibet Matrimonium, aliquando irritum reddit contractum; aliquando reicitur, & aliqui quando valida est, ut patebit.
2. Prima Conclusio. Si talis conditio abstinendi à matrimonio adiuncta sit promissio, vel contractui, non reicitur, sed vitiat contractum, eumque reddit irritum, quando imponitur virgini, id est, ei, quæ antea non fuit in Matrimonio. Vnde si quis illi promittat centum, si non nupserit, promissio est irrita. Ratio, quia hæc conditio reputatur iure (non natura) impossibilis. Molina tractat. 2. de institution. disput. 285. Quæ enim iure improbantur, vocantur impossibile, 1. conditiones contra edita. ff. de condition. in decimo sexto institutionum. Hæc autem iure reprobatur, ut patebit. Ergo iure est impossibilis. Conditiones autem impossibile quamvis

quamvis reiiciantur à legatis, non tamen à contractibus: Sed illos omnino vitiant, *s. si impossibilis Institutione de iniurilibus stipulationibus.* Et idem in omnibus contractibus disponitur, *l. non solum ff. de actionib. & obligationib.* Nomine autem impossibilium conditionum ad hunc effectum comprehenduntur, & quæ natura, & quæ iure impossibles sunt.

3 Secunda Conclusio. Si talis conditio abstinendi à Matrimonio adiuncta sit legato, non vitiat legatum, sed reicitur. Vnde si Virgini legentur centum, si non nupserit, obtinebit illa, etiam si nubat, *l. quoties. 22.* Et *l. cum tate. 71.* Et *l. Titia si non nupserit ff. de conditionib. & demonstrationib.* Ratio sumitur ex *l. 2. c. de indicta viduitate*, quia Reipubl. interest, ut multis ex legitimo Matrimonio procreatis augeatur.

Quæres, quare hæc conditio, *si non nupserit*, & aliae impossibles non reiiciantur à contractibus, sed eos vitient, cum tamen reiiciantur à legatis, & ea non vitient? Respondeo, quia contrahentes, cum sint adhuc superstites, possunt suos contractus ob conditionis impossibilitatem vitiatos efficere validos remittendo conditionem impossibilem. Testator autem, qui iam obiit, non potest suam dispositionem ad debitum modum reducere. Vnde per legem reduci debet, reiecta conditione impossibili, quod non fit in pœnam testatoris, sed in fauorem. Cum enim testator voluerit de suis bonis disponere, & dispositio per se sit inuallida, patrocinio legis fit valida, reiecta conditione.

4 Tertia Conclusio. Conditio prohibens matrimonium, tametsi reiiciatur in virgine, in multis tamen valida est, & admittitur. *Primo* in vidua. *Secundo* in viduo. *Tertio* in Eunuchis & aliis impotentibus ad generandum. *Quarto*, fauore piax causæ, vt si legetur virginis, si non nupserit, & si nupserit, transferatur ad aliquam piam causam. *Quinto*, si conditio prohibeat nuptias ad certum tantum tempus, vel respectu aliquarum personarum (verbū gratia hæretici) vide Sanchez *l. 1. disput. 34. num. 29. & sequentibus.*

QVÆSTIO XIX.

An in contractu sponsalium liceat arrhas apponere?

1 **A**rrhæ sumuntur hic pro pignore quod inter Sponsos traditur in signum & firmitatem contrahendi Matrimonij. Vide Molin. tract. 2. de iustitia. disput. 431.

Prima Conclusio. In contractu Sponsalium licitum est arrhas apponere amittendas per sponsalium fidei violatorum, *i. arrbis, i. finali. c. de sponsalibus.*

3 Quæres, cur potius permisæ sint arrhæ quam poena? Respondeo, duæ solent præcipue assignari causæ. *Prima*, quia cum poena (solutio pecuniaria) non statim tradatur, sed promittatur in futurum, facile & incautè in magna quantitate promittitur. Sed arrhæ cum re ipsa tradi debeant in contractu sponsalium, in minori quantitate & maturiori consilio traduntur. *Secunda* causa: quia arrha datur in signum, & ad securitatem rei gestæ. Poena autem non pro securitate; sed ut contrahentes adstringantur ad Matrimonium ineundum. Hæ tamen rationes non videntur sufficere, ut notat *ibidem* Molina: Dicendum ergo est totum hoc pendere ex arbitrio legislatoris, qui admisit arrhas, & non poenam, cum tamen utrumque valeret spectato solum iure naturali.

4 Secunda Conclusio. Ea est conditio arrharum, ut eas amittat tradens, si ipsius culpa Matrimonium non sequatur: Si autem sequatur, redeant ad tradentem, *i. fin. c. de spons.* Ratio, quia arrhæ in contractu Matrimonij perinde ferè se habent ac pignora in venditionis contractu tradita. Hæc autem amittit iniuste resiliens, & venditione celebrata recuperat ea tradens. *Sylu. v. sponsalia. q. 9. Molin. tract. 2. disput. 338. & Sanch. disput. 30. aum. 2.*

5 Tertia Conclusio. Qui sine culpa resilit à sponsalibus, non amittit arrhas quas tradidit, sed ipsi restituendæ sunt. Hoc autem contingit, quoties est causa iusta recedendi à sponsalibus, vel alter ingreditur Religionem, vel reperiatur aliquod canonicum impedimentum inter Sponsos. Communis est sententia, & habetur, *i. finali. c. de sponsalibus.* Ratio est, quia ubi culpa absit, debet absesse poena, *i. Sanc-*

mns. c. de pœnis. Hoc intellige, si tradens arrhas bona fide contraxit sponsalia ignorans impedimentum. Si enim huius conscius fuit, non potest arrhas traditas repeteret. *Glosfa, l. final. c. de sponsalib.* Vnde si ipsi arrhæ reddantur (quia scilicet alter recipiens ignorat tradentem mala fide contraxisse) tenetur restituere, cum ex natura contractus eas amiserit.

6. *Quarta Conclusio.* Quando alter sponsorum solus tradidit arrhas, & culpa recipientis non sequitur Matrimonium, tenetur hic duplum restituere, nempe arrhas acceptas ab altero, & tantundem de suo patrimonio : Et si conuentum fuit, ut restituat triplum, aut quadruplum, tenetur, *l. final. c. de sponsal.* Ratio, quia si solas arrhas tenentur restituere, nullam pœnam pateretur, nec reservaretur æqualitas. *Excipio tamen,* si contrahens sponsalia sit minor viginti quinque annis, nec ætatis veniam impetravit. Tunc enim si in culpa sit, tenetur solas arrhas restituere, siue ipsi traditæ fuerint, siue ipsius tutori, vel curatori, *lege citata.* Vnde Innocentius & alij Canonistæ consulunt, ut arrhæ parentibus tradantur, quia parentes, si arrhas reperirent, tenentur in duplum, *lege citata.* Hoc tamen intellige, si suo nomine acceperint promittendo Matrimonium filij.

7. *Quinta Conclusio.* Quando vterque arrhas dedit & recepit, iniustè resiliens suas perdit, & tenetur restituere quas accepit. Sic enim peruenitur ad pœnam dupli præscriptam lege ciuili. Hoc intellige si arrhæ vtrumque fuerint æquales. Nam si iniustè resiliens tradiderit minores, quam alter, tenetur supplere defectum, ut sit pœna dupli.

8. *Quæres primo.* An hæc pœna dupli, vel quadrupli, quæ permittitur à iure ciuili, valeat etiam in canonico? Aliqui negant, quia contractus Matrimonij iure canonico eximitur ab omni pœna, *c. Gemma de sponsal.* Ratio, quia pœna impedit libertatem Matrimonij. Alij passim affirmant, quia ius canonicum censetur prohibere illas tantum pœnas, quæ distinctæ sunt à restitutione arrharum, & à solutione dupli vel quadrupli, quæ cum restitutione arrharum conexæ est.

9. *Quæres secundo.* An iniustè resiliens teneatur in foro conscientie?

862 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
conscientiae restituere duplum, vel quadruplum ante Iudicis sententiam? Respondeo, hæc poena distinguenda est. Nam poena dupli est legalis: poena quadrupli est conuen-tionalis. De priore certum est non deberi ante Iudicis sententiam. Commune enim hoc est omni poenæ legali. Vnde iniustè resiliens tenetur quidem restituere arrhas acceptas, quia hæc non est poena, sed conditio naturaliter annexa contractui. Non tamen tenetur soluere duplum, nisi à Iudice condemnatus. De posteriore dubitatur an teneatur in foro conscientiae ante Iudicis sententiam. Aliqui affirmant, quia nihil est tam naturale, quam seruare pacta, *i.e.* *ff. de pannis*. Sed contrahentes sponsalia paciscuntur de poena quadrupli soluenda à resiliente. Ergo naturaliter obligantur ad seruandum pactum. Ergo non est expectanda Iudicis sententia, cum naturalis obligatio pertinet ad conscientiam. Alij putant non deberi hanc poenam, nisi alter sponsorum exigat. Eo autem exigente statim deberi, non expectata Iudicis sententia. Ratio, quia sicut se habet Index in poena legali: ita creditor in conuenionali. Sed Iudici exigenti poenam legalem non licet resistere. Ergo nec creditori exigenti conuenctionalem. Alij denique putant non deberi ante Iudicis sententiam, quia intentio contrahentium, & poenam quadruplici constituentium non est alia, nisi ut per eam compelli possint ad fidem seruandam in foro externo & coram iudice. Ergo non intendunt se obligare ad eam poenam, nisi iudicialiter, & in foro contentioso. Confirmatur, quia cum illam poenam constituant ex permissione iuris communis, eorum intentio intelligenda est iuxta præscriptum iuris communis. Ius autem commune non obligat ad poenam, nisi post sententiam iudicis.

Ad argumentum *primæ* opinionis. Respondeo, pacta seruanda esse eo modo quo fiunt. Itaque pactum soluendi poenam debet seruari secuta condemnatione.

Ad argumentum *secundæ* negatur maior, quæ non facilè probari potest.

QVÆSTIO XX.

An in contractu sponsalium possint interuenire fideiussores & pignora?

- 1** **P**rima Conclusio. Certum est pro securitate Matrimonij contrahendi fideiussores interuenire posse, cum nullo iure id prohibeat: non tamen tenebuntur ad poenam, sicut nec ipsi contrahentes, quia non potest in plus obligari fideiussor quam principalis. Tenebuntur nihilominus ad interesse, sicut etiam contrahentes, ut supra dictum,
- 2** Secunda Conclusio: Dubium est de pignoribus. Aliqui putant non posse interuenire, nisi pro interesse praestando, & eo soluto restituenda esse, quia *l. fin. c. de spons. reiicitur omnis pena, exceptis arrhis.* Alij admittunt pignora realiter tradita. *Primo*, quia iure communi vocantur arrhae, *l. i. c. si Rector Provinciae*. Vide Gloss. *ibid. Secundo*, quia traduntur loco arrharum. Alij denique distinguunt. Nam si praecedat stipulatio penæ, & tradantur pignora, aiunt non valere. Si autem praecedat arrharum stipulatio, & tradantur pignora, putant valere. Ratio est, quia quando principale non valet, corruit accessorium, quod eius naturam sequitur. Sed pena non valet: arrhae autem admittuntur. Ergo pignora accessoria penæ non subsistunt. Accessoria autem arrharum subsistunt. Vide Gloss. *l. Titia. ff. de verb. obligat.*

In dubio autem, quando traduntur pignora, nulla praecedente stipulatione, tunc valent, licet nulla mentio fiat arrharum. Censentur enim pro arrhis tradi. Nam in dubio ea interpretatio sumenda est, quæ actum faciat valere: quia nemo presumit sumere viam, & sua dispositio subvertatur.

QVÆSTIO XXI.

An sponsalia dissoluantur per ingressum Religionis?

- 1** **V**ariæ soleant assignari causæ, ob quas sponsalia dissolui possunt, de quibus agit D. Thom. *in supplem. q. 43. a. 3.* & alij *infra citandi.* Prima causa est ingressus Religionis, de qua nos,

2 *Prima*

in toto 2 Prima Conclusio : Probabile est, sponsalia non dissolvi per ingressum Religionis, nisi professione secuta : ac proinde, si sponsus tempore Nouitiatus deserat Religionem, teneri ad fidem sponsalium seruandam. Nam ingrediens Religionem non statim cedit suo iuri, sed sub ea conditione, si professus fuerit. Ingreditur enim, ut experiatur, an sibi magis expediatur profiteri Religionem quam in Matrimonio viuere. Durand. *in 4.d.27.q.2.Palud.* *ibid.q.1.a.3.* Figuer. *in Institut.* *cap.16.§.7.v.7.* quibus fauet D.Thom. *artic. cit. ad 1.* vbi dicit, sponsalia dirimi per ingressum Religionis, quia est mors spiritualis. At non est mors spiritualis, nisi facta professione. Hinc infert Paludanus ingressum ante professionem sufficere, ut alter sponsus manens in saeculo possit iudicem (*Ecclesiasticum*) adire, qui ex causa iusta concedat facultatem ineundi aliud Matrimonium. Quod si iudicem non accedat, aut iudex eam facultatem neget, teneri alterius professionem expectare.

3 Secunda Conclusio. Probabilius est, sponsalia dirimi per solum ingressum ante professionem, ac proinde manentem in saeculo posse statim contrahere aliud Matrimonium, & omnino solutum esse a fide priorum sponsalium. Ita Dominicus Sotus *in 4.d.27.q.2.a.5.Nauarr.* *in Manuali,c.22.v.25.* & seqq. Valentia *q.2.de Matrimonio,p.3.* Henr. lib.11.ca.14. num.3. Sanch. *l.1.1.42.* Probatur primo, quia eo ipso quod quis religionem ingreditur, satis declarat se sponsalibus renunciare. Ergo manens in saeculo liber est ab obligatione. Secundo, quia fit notabilis mutatio in persona ingrediente. Nam vulgo censetur magnum dedecus inire Matrimonium cum eo qui fuit Monachus, (*Religiosus, Ecclesiasticus*) aut cum ea quae fuit Monialis. Tertio, quia sic se habent Nouitiatus & professio, sicut sponsalia & Matrimonium. Sicut enim Nouitiatus est dispositio, seu via ad professionem, sic sponsalia ad Matrimonium. Ergo sicut professio dirimit Matrimonium ratum, *c.ex publico, de conuers. coniugatorum,* ita Nouitiatus sponsalia.

4 Quæres primo, an per ingressum Religionis, professione non secuta, dissoluantur sponsalia ex parte vtriusque sponsi? Aliqui putant dissolui tantum ex parte manentis a saeculo. Vnde, si sponsus ingrediatur Religionem, & eam

eam postea deserat, liberum erit sponsæ manenti in sœculo perficere cum illo Matrimonium. Et si ea velit perficere, sponsus tenebitur. Simile est de fornicatione, per quam non dissoluuntur sponsalia ex utraque parte, sed tantum ex parte innocentis. Probatur *primo*, quia quamuis ingrediens cedat suo iure: tamen manens in sœculo non cedit. *Secundo*, quia licet sit notabilis mutatio ex parte ingredientis, tamen alter potest eam pati & tolerare. *Tertio*, quia non est eadem ratio, ut nouitiatus omnino dissoluat sponsalia, sicut professio Matrimonium ratum. Nam in hoc casu inuenitur priuilegium à Christo concessum, non autem in illo. Confirm. quia non eodem modo se habent. Nam in Nouitiatu non includitur obligatio professionis emittendæ, sicut includitur in sponsalibus respectu Matrimonij. *Quarto*, quia omnia vota simplicia quæ obligationem continent, extinguantur per professionem, non autem per nouitiatum, sed suspensa manent. Ergo simpliciter sponsalia quæ includent obligationem matrimonij, non dissoluuntur omnino per nouitiatum, sed suspenduntur ex parte ingredientis. Vide Henriquez *loco citato*.

Alij tamen putant dissolui ex parte utriusque quando sponsus bona fide ingreditur. Quamuis enim expressum non inueniatur, ut nouitiatus omnino dissoluat sponsalia, sicut professio omnino dissoluit Matrimonium ratum, tamen ex quadam proportione & similitudine duci potest argumentum ante explicatum. Confirmatur *primo*, quia hæc dissolutio non solum prouenit ratione notabilis mutationis, aut ratione renunciationis sponsalium, sed fauore status Religiosi. Sicut ergo Matrimonium ratum omnino dissoluitur per professionem fauore status, ita sponsalia per nouitiatum. *Secundo*, quia tametsi ingrediens protestaret se nolle renunciare sponsalibus usque ad professionem: imò, tametsi uterque simul ingrederetur (quo casu cessaret notabilis mutatio, quia in utroque esset æqualis) tamen adhuc dissoluerentur sponsalia. Ergo fauore status prouenit dissolutio. *Tertio*, quia maior est obligatio voti Religionis quam sponsalium, cum illud votum dirimat sponsalia. Sed votum Religionis dirimitur per ingressum bona fide factum, ita ut si vouens egrediatur experiens

866 CAP. XLIII. DE SACRAENTIS
eum statum sibi non conuenire, maneat liber ab obligatio-
ne voti. Ergo multo magis dissoluuntur sponsalia per talem
ingressum bona fide factum.

Ad primum & secundum argumentum patet solutio. Nam totalis illa dissolutio prouenit fauore status partialis ex na-
tura rei. Ad tertium fateor non inueniri expressum priuile-
gium, nec in omnibus esse similitudinem, sed ex quadam
proportione duci posse argumentum, ut dixi. Ad quartum
negatur consequentia, quia non est par ratio. Nam vota sim-
plicia non extinguiuntur fauore status, sed quia professio
est quædam mors spiritualis, & profitens quasi nouus fit
homo. At sponsalia & Matrimonium ratum extinguiuntur
fauore status, non autem quia professio mors spiritualis est,
alioqui dissolueret etiam Matrimonium consummatum,
quod tamen non fit.

Quæres secundo: An sponsalia iuramento firmata dissol-
uantur per ingressum Religionis? Ratio dubij sumitur ex
c. commissum de sponsal. vbi Pontifex consultus de hac re, sic
respondit: *Tutius est ei, Religione iuramenti seruata prius con-
trahere, & postea si elegerit, ad Religionem migrare.* Ex his ver-
bis oritur quæstio: an, qui sponsalia iuravit, possit ingredi
Religionem matrimonio non contracto, an teneatur prius
contrahere, ut iuramentum seruet? Aliqui putant prius te-
neri contrahere, & postea ante consummationem posse in-
gredi. Primo, quia Pontifex dicit hoc esse tutius ob reue-
rentiam iuramenti. Secundo, quia, qui iuravit se solutum
vsuras, licet post solutionem possit repetere, tamen ob re-
uerentiam iuramenti tenetur prius eas soluere, *c. debitores,*
de jureiurando. Tertio, quia iuramentum factum in fauorem
tertij cui est ius acquisitum, non potest in melius com-
mutari, ut si iuravi Petro, me daturum illi centum au-
reos, non satisfacio, si pauperiori dem mille. Quarto,
quia, qui tenetur soluere debita, si soluendo est, tenetur
prius ea soluere, quam Religionem ingrediatur, ut omnes
concedunt; sed sponsus, qui iuravit sponsæ futurum Ma-
trimonium, est illi debitor, & potest soluere debitum ante
ingressum. Ergo tenetur. Vide Nauarr. *c. non dicatus. 12. quæst.
2. num. 3.*

Alij rectius docent posse Religionem ingredi non con-
tracto

tracto Matrimonio. *Primo*, quia Pontifex solum consulit tanquam tutius, ut prius contrahat. Hoc autem consilium non obligat. *Secundo*, quia iuramentum sequitur naturam & conditionem actus cui apponitur, ac proinde conditio tacite inclusa in actu includitur etiam in iuramento. *cap. quemadmod. de iure iur. Et l. fin. c. de non numerata pecunia.* Sed promissioni Matrimonij inest haec tacita promissio, nisi promitteret elegerit Religionem. Ergo & iuramento inest haec conditio. Minor patet, quia ipsimet Matrimonio rato inest haec conditio. Alias non licet ad Religionem transferre. Ergo etiam sponsalibus. Vnde cum ingrediens Religionem conditionem impleat, non erit periurus non contrahendo. *Vide Henr. l. 11. c. 13. num. 3. & c. 14. n. 3. Sanch. l. 1. d. 43.* & alios ibi citatos.

Ad primum argumentum patet solutio ex dictis. Ad secundum. In iuramento soluendi usuras nulla tacita latet conditio, qualis latet in iuramento Matrimonij contrahendi. Ad tertium. Verum illud est, nisi iuramento insit tacita conditio, si in melius non commutauero. Ad quartum solutioni aliorum debitorum non inest conditio, ut in nostro casu.

QVÆSTIO XXII.

An sponsalia dissoluantur per simplex votum castitatis?

Tria certa sunt. *Primo*, sponsalia irritari (non dissolui) per simplex votum castitatis precedens, quia continent promissionem rei illicitæ. *Secundo*, sponsalia dissolui per votum Religionis subsequens, sicut dissoluuntur per Noninitatum. *Tertio*, quando alter sponsorum vovet castitatem post contracta sponsalia, alterum à fide sponsalium seruanda liberum esse, quia vovens censetur sponsalibus renunciasse. *Quæstio autem est*, an etiam vovens castitatem sit liber à fide sponsalium, quod idem est, an votum castitatis sit licitum post sponsalia, & ea penitus dissoluat? Alij affirmant: alij negant. Vtrique citant pro se, *c. veniens, qui clerici vel voventes.* Vbi quædam foemina, ut à sponsalibus liberaretur, castitatem vovit: & rogatus Pontifex, an possit nubere non obstante voto, respondit ita: *Nos attendentes*

868 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
tutius esse ut præfata mulier post fidem & votum simplicitate oblatum, Matrimonium contrahat, quād fornicationis reatum incurat; mandamus, quatenus illi de fide mentita & voto violato congruam satisfactionem indicas, & ei, cui vult, nubendi licenziam tribuere non postponas. Quæ verba in utramque partem ab Authoribus trahuntur.

stetit
2 Prima Conclusio: Probabile est, simplex votum castitatis valere post sponsalia, & ea dissoluere, nec vouentem posse inire Matrimonium ante promissum. Ita D. Thom. Palud. Caiet. Sot. Henr. & alij apud Sanch. *disp. 46. n. 7.* Probatur *primo*, ex capite citato, quia Pontifex dicit, iniungendam esse fœminæ pœnitentiam de voto violato. Ergo votum præualeat sponsalibus; alioqui non peccaret in votum, qui vellet fidem sponsalium seruare, & nubere. *secundo*, quia promissum non infringit, qui in melius illud commutat. *c. peruenit. 2. de iure iurando.* *Tertio*, quia sponsalibus semper inest hæc tacita conditio: nisi voluero ad meliorem statum transire. *Quarto*, quia, quando concurrunt duo vincula incompatibilitæ & valida, tunc fortius præualeat, vt colligitur, *ex c. s. inter. de sponsal.* Sed vinculum voti castitatis est incompatibile cum sponsalibus, vt per se patet, cum non possint utraque seruari; & est fortius, quia inducit obligationem fidelitatis, respectu Dei, sponsalia verò respectu hominis tantum. Hæc sententia non solum est probabilis, sed etiam tuta in conscientia. Et ex illa sequitur, si vouens castitatem postea contrahat Matrimonium cum alia, reum esse voti, non tamen priorum sponsalium, quia iam erant legitimè dissoluta.

3 Secunda Conclusio: Probabilius est per huiusmodi votum non dissolui sponsalia. Ita P. Valentia *q. 2. punto 5.* Nauar. & alij apud Sanchium. Probatur *primo* ex capite citato, quia fœminæ fuit imposita pœnitentia de fide mentita sponso. Ergo votum castitatis non dirimit sponsalia. *Secundo*, quia simplex votum castitatis, citra ingressum Religionis, non valet sine consensu alterius sponsi, vt argumentetur Valentia ex Nauarro. *Tertio*, quia nullo iure probari potest inesse sponsalibus hanc tacitam conditionem, nisi statum continentiae (non Religionis) elegero. *Quarto*, quia Deus non acceptat promissionem rei prius alteri promissa.

misiæ , præsertim in alterius præiudicium. Nam si Pe-
tro promittas equum , & postea eundem promittas Ec-
clesiæ , præualet prior promissio. Sed sponsus per spon-
salia promisit suum corpus alteri. Ergo promissio eiusdem
corporis Deo facta per votum non est Deo accepta.

4 Ad *primum* argumentum solutio patet ex dictis. Ad *secundum* , promissum non infringit , qui in melius illud
commutat respectu eiusdem promissarij. Ad *tertium* , nul-
lo iure probatur talis conditio , ut dictum est. Ad *qua-
ratum* , Maior vera est , quando vinculum vtrumque est vali-
dum. At votum non est validum , quatenus est in sponsæ
præiudicium ; quod addo , quia dupliciter spectari potest.
Primo , in præiudicium vouentis ; & sic valet , quia quan-
tum in se est , tenetur seruare castitatem. *Secundo* , in præ-
iudicium sponsæ , & sic non valet , quia tenetur illi seruare
fidem sponsalium.

QVÆSTIO XXIII.

*An sponsalia dissoluantur per susceptionem , vel
votum sacri Ordinis ?*

IDISTINGUIMUS votum suscipiendi sacros Ordines à
reali eorundem susceptione. Et tria certa sunt. *Pri-*
~~mo~~
mo , sponsalia non dirimi per votum vel realem suscep-
tionem minorum Ordinum , quia hi Ordines non repugnant
Matrimonium. *Secundo* , dissolui tamen per susceptionem ~~reale~~
~~reale~~ maiorum Ordinum , quia hi reddunt suscipientem
incapacem Matrimonij. *Tertio* , si sponsus *voueat* suscep-
tionem maiorum Ordinum , sponsam manere liberam ab
obligatione sponsalium , quia sponsus per illud votum cen-
setur renunciare sponsalibus. *Quætitur* ergo an idem vo-
tum dissoluat sponsalia etiam ex parte vouentis? Aliqui af-
firmant , quia sponsalia vtrinque dissoluuntur per votum
solemne , c. *voto* , *de voto in 6*. At in maioribus Ordinibus
includitur solempne votum castitatis. *ibid.* Ergo , &c. Hæc
tamen ratio non conuincit , quia duo vota hic spectari de-
bent. *Primum* , suscipiendi sacros Ordines. *Secundum* , casti-
tatis inclusum in susceptione sacrorum Ordinum. *Primi-*

370 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
votum est simplex, & non dissoluit sponsalia. *Posterior* est
solemne, & dissoluit illa, quia supponit realem susceptio-
nem sacrorum Ordinum. *Sanch. disput. 47. num. 3.* aliter sentit
de hoc voto.

QVÆSTIO XXIV.

*An sponsalia dirimantur per Matrimonium cum
aliam contractum?*

Prima Conclusio. Si Matrimonium cum alia contra-
ctum fit irritum, adhuc obligant priora sponsalia,
quia non praestat impedimentum, quod de iure non fortis-
tut effectum, ut habet *52. regula juris in 6.* Hoc intellige re-
spectu illius, qui cum alia contraxit Matrimonium inuali-
dum, non autem respectu innocentis, quia is liber est ab
obligatione sponsalium, eò quod alter recesserit à contra-
ctu cum illo facto.

Secunda Conclusio. Si Matrimonium cum alia contractum
fit validum, dissoluuntur priora sponsalia, c. si inter de spon-
salibus. Ratio est, quia obligatio Matrimonij est maior quam
sponsalium. Ergo si illa adsit, hæc cessat.

Quæres: an ita cesset, ut penitus extinguitur? vel: an
sponsus soluto Matrimonio contracto cum alia per mor-
tem illius, non amplius teneatur ad priora sponsalia? Ali-
qui putant teneri, quia sicut simplex promissio Religionis
non extinguitur per subsequens Matrimonium, sed solùm
suspenditur, & eo soluto iterum obligat: sic etiam simplex
promissio matrimonij non extinguitur per subsequens ma-
trimonium cum alia contractum, sed ad tempus suspendi-
tur. Hæc tamen ratio non conuincit. Nam aliud est loquij
de duabus obligationibus eiusdem rationis, aliud de dua-
bus diuersæ rationis. Quando enim sunt duæ obligationes
eiusdem rationis, tunc extinguitur prior per firmorem po-
steriorem subuenientem, quo pacto votum strictioris Reli-
gionis extinguitur professione secuta in laxiore. Quando
autem sunt diuersæ rationis, tunc prior potest suspendi
per posteriorem, & non statim extingui; quo pacto pro-
missio Religionis suspenditur per subsequutum matrimo-
nium.

QVÆ

QVÆSTIO XXV.

An priora sponsalia dirimantur per posteriora?

1 **C**ERTUM est, priora non dissolui per posteriora, si nihil aliud accedit, quia fides posterius data in præjudicium prioris fidei est irrita. At dubium est *primo*, an priora dissoluantur per posteriora, subsecuta copula cum posteriori. *Secundo*, an priora dissoluantur per posteriora iuramento confirmata.

2 **P**rima Conclusio. Ante decretum Concil. Trident. *sej.* 24. cap. 1. de Matrimonio, priora sponsalia dissoluebantur per posteriora, subsecuta copula affectu coniugali (non forniciario.) Ratio est, quia posteriora per talem copulam transibant in matrimonium, *cap. is qui fidem, de spons.* At post decretum Tridentini non ita fit, quia posteriora sponsalia non transeunt in matrimonium per solam copulam, ut infra dicam. Vnde qui contraxit posteriora sponsalia, tenetur ad priora redire, licet alter sponsorum, qui innocens est, non maneat obligatus, & potest respuere.

3 **S**ecunda Conclusio. Tametsi aliqui putent priora sponsalia dissolui per posteriora iuramento firmata, contrarium tamen est probabilius. Ratio, quia, quando iuramentum est de re iniqua & in præjudicium tertij, non obligat. *58. regula juris in 6.* Ex parte tamen illius cui prior fides data erat, soluta sunt sponsalia, ut sœpè dixi, quia innocens est.

QVÆSTIO XXVI.

An sponsalia ab impuberibus contrahēta dissoluantur per solum dissensum alteris pubertatem adepti?

1 **P**rima Conclusio. Si duo impuberes sponsalia contrahant, neuter potest ante pubertatem resiliere: pubes tamen factus potest quilibet, *de illis 1. cap. à nobis de de spons. impub.* Ratio prioris partis est, ne propter inconstantiam ætatis sœpè contrahant & rescindant sponsalia. Ratio posterioris est, ne cogantur approbare, quod in tenera ætate fecerunt. Hinc sequitur non sufficere mutuum impuberum consensum, ut ante pubertatem resilire possint.

2 Secunda Conclusio. Prius pubes factus potest statim resilire, nec tenetur expectare pubertatem alterius. Est probabilior sententia contra glossam, *cap. de illis, verbo cum sponsalia.* Et ratio est, quia frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus, *cap. cum contingat. de officio delegati.* Ergo si prius factus pubes potest, altero pubertatem adepto, reclamare, poterit etiam statim. Et sic tenet eadem glossa, *cap. citato. v. minoris;* ac proinde sibi ipsi contraria est.

3 Tertia Conclusio. Pubes cum impubere contrahens sponsalia nunquam potest resilire: id tamen potest impubes, cum ad pubertatem peruererit, *cap. citato.* Ratio, quia contractus potest in minoris fauorem claudicare, ut si minor absque tutoris autoritate cum maiore contractum ineat, illi soli reclamare permisum est, *i.e. non eo minus. c. de procuratoribus.*

4 Quarta Conclusio. Sicut à veris sponsalibus non licet resilire ante pubertatem, ita nec à præsumptis; ut si impubes contrahant per verba de præsenti, *cap. à nobis, de de sponsi. impuberum.*

5 Quæres primo, cum dicimus impuberem factum pubrem posse resilire, quomodo hoc intelligendum sit? Resp. intelligi, si statim pubertatem adeptus resiliat; alioqui postea non poterit, quia ex quo statim non contradixit, visus est tacite consentire. Nauar. *cap. 22. n. 23.* Statim autem intelligitur triduo post pubertatem, vel circiter, ut notant Ostiensis & Ioan. Andr. *cap. de illis.* Hinc sequitur non esse opus ut factus pubes sponsalia ratificet, quia, eo ipso quod non reclamat, manent valida.

6 Quæres secundo, quid dicendum sit, si impubes ante pubertatem resiliat à sponsalibus, & postea non mutet eum dissensum, nec amplius recordetur post pubertatem, an manent dissoluta sponsalia? Aliqui negant, quia dissensus ante pubertatem factus non fuit validus, ut ex dictis patet. Ergo cum pubes factus non reclamauerit, manent firma sponsalia. Alij affirmant, quia, licet dissensus ante pubertatem factus non fuerit tunc validus, tamen post pubertatem coepit esse validus, quia non fuit retractatus.

7 Quæres tertio, an sponsalia impuberum iuramento firmata sint valida, ut neutri pubertatem adepto liceat resilire?

resilire? Aliqui putant firmari non posse. *Primo*, quia im-
puberes prohibentur iurare, *cap. pueri, cap. paruuli, 22. quæst. 5.*
Secundo, quia iuramentum additum contractui sequitur
conditionem contractus, ut supra dixi. Sed sponsalia im-
puberum Canonico iure habent hanc tacitam conditio-
nem, nisi facti puberes resilierint. Ergo etiam iuramentum
habet hanc conditionem.

Alij putant firmari iuramento, nec licere resilire. *Primo*
ex *cap. ex literis Syluanî, de sponsalibus*, vbi expressè dicitur
impuberis iurantes sponsalia cogendos esse ea perficere.
Secundo, quia, licet dubium sit apud Iureconsultos,
an aliqui impuberum ciuiles contractus firmentur iura-
mento, necne? hoc tamen inde prouenit, quia secluso iura-
mento inualidi erant. Cum ergo sponsalia impuberum
secluso iuramento sint valida, poterunt iuramento firmari.
Vide Henriquez *lib. II. cap. 14. num. 7.* Iam Respond. ad ar-
gumenta. Ad *primum* in illis Canonibus nihil aliud habe-
tur, quam paruulos non esse cogendos ad iuramentum,
& illorum iuramenta esse irrita si parentes contradix-
erint. Ad *secundum* Respond. cum distinctione. Nam spon-
salia impuberum iure Canonico habent illam tacitam
conditionem, *cap. de illis 1. de spons. impub.* si tamen iura-
mento firmata sint, deficit illa conditio, c. *ex literis Sylua-
ni, de sponsalibus.*

QVÆSTIO XXVII.

*An sponsalia mutuo contrahentium consensu di-
rimi possint?*

Plerique rectè affirmant; quia omnis res, per qua-
cumque causas nascitur, per easdem etiam dissolui-
tur, *cap. 1. de regulis iuris.* Sed sponsalia nascuntur mutuo
contrahentium consensu. Ergo eodem dissolui possunt.

Dices: contrarium colligitur ex *cap. 2. de sponsalibus*, vbi
Pontifex ita rescribit: qui de matrimonio contrahendo fi-
dem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus in-
ducendi, ut præstitam fidem obseruent: Si autem se ad in-
uicem dimittere voluerint, ne fortè deterius aliquid inde
contingat, potest in patientia tolerari. Vbi Pontifex negat

posse dissolui sponsalia mutuo consensu; si tamen fiat, tolerandum esse timore peioris exitus. Respond. Pontifex concedit sponsalia dissolui posse eo modo quo societas dissoluitur, nempe sociorum consensu. Addit tamen non facilè id fieri debere, quia tametsi malum non sit, mali tamen speciem habet.

2. Quæres: an etiam sponsalia iuramento firmata mutuo contrahentium consensu dissolui possint? Respond. si iuramentum præstitum sit in fauorem partis, remitti potest consensu partis; vt docet D. Thom. in 2.2. q.86. art.9. ad 2. Si autem principaliter præstitum sit in honorem Dei, vt si intuitu piaæ causæ iures fœminæ pauperi, te eam dueturam in vxorem, dubium est an dissolui possint? Aliqui negant, primo, quia D. Thom. loc. cit. dicit eum, qui promittitur intuitu piaæ causæ, non posse remittere. Secundo, quia tale iuramentum, quod fit pietatis intuitu, æquiualet voto secundum omnes. Votum autem non remittitur ex consensu priuati hominis. Ergo nec iuramentum æquiualens. Alij rectius distinguunt. Si enim tota res promissa cedit in utilitatem partis, vt contingit in nostro casu; tunc consensu partis remitti potest; etiamsi iuramentum principaliter referatur ad honorem Dei. Deus enim recipit illud in utilitatem partis. Ergo pars cui res promissa est sub iuramento, potest remittere si velit. Confirmatur à simili, quia pater potest irritare quædam vota filiorum tollendo materiam voti. Sublata enim materia voti cessat ipsum votum. Materia autem potest auferri à patre, quando est in potestate patris. Ergo eodem modo sublata materia iuramenti, cessat iuramentum. Sed pars potest condonare promissionem in sui fauorem factam, quæ est materia iuramenti. Ergo tunc cessat iuramentum. Si autem res promissa non cedit in utilitatem partis, vt si cui promittas sub iuramento te ingressurum Religionem, non potest alter remittere promissionem, ac proinde nec iuramentum. Et hoc modo intelligendus est D. Thom. loco citato.

QVÆSTIO XXVIII.

An sponsalia dissoluantur elapsō tempore præfixo?

1 IN hac re ius Canonicum, & Ciuale videntur pugnare. Nam *c. sicut de sponsalibus*, ita rescribit Pontifex: *nisi forte in iuramento suo certum terminum præfixit, intra quem duceret illam uxorem, nec per eum stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummari*. Quibus verbis constat sponsum esse liberum ab obligatione sponsalium, quando sine eius culpa sponsalia præfixo termino non sunt impleta. Contrà verò in iure Ciuali, *leg. Celsus ait, ff. de receptis arbitris*; sic habetur: *Sed ipse recte putat duo esse arbitrii præcepta: unum pecuniam dari; aliud intra Calendas dari*. Ex quo patet, in obligatione soluendi certo termino, contineri duas obligationes; unam soluendi; alteram tali termino soluendi. Ergo non impleta hac posteriore obligatione in sponsalibus superest prior implenda.

2 Prima Conclusio. Quando terminus adiicitur obligationi ad eam restringendam seu finiendam, tunc elapsō termino cessat obligatio ex parte innocentis, id est, per quem non stetit, *l. si fideiussor, §. fin. ff. mandati, vel contrà leg. obligationum, 2. ff. de action. & oblig.* Et ratio est, quia omnes contractus ex consensu contrahentium vim obligandi accipiunt. *Regula contractus, de reg. iur. in 6.* Ergo si contrahentium voluntas fuit terminum apponere ad finiendum obligationem, iam eo transfacto finietur obligatio ipsa.

3 Secunda Conclusio. Quando terminus adiicitur obligationi ad sollicitandum obligationis effectum, seu ad constituendum tempus, vt deinceps debitor in mora constituantur non soluendo, tunc lapsus termini non extinguit obligationem. Ratio, quia ibi sunt quasi duo contractus, unus faciendi, alter certo termino, vt patet ex *leg. citata, Celsus, & ex cap. cùm dilecti, de dolo & contumacia*. Ergo licet contrahens deficiat in contractu termini, manebit tamen obstrictus altero contractu faciendi.

4 Quærés primo, quando censeatur terminus adiectus ad finiendum obligationem, & quando ad sollicitandum; præsertim si de contrahentium animo non constet? Resp.

hæ duæ regulæ seruentur. *Prima*, sit terminus ab uno tantum contrahentium destinetur, ut alter intra illum impleat contractum, tunc censetur destinari tantum ad sollicitandum; vt si promittam tibi fore, vt vendam rem meam intra mensem, te non adstricto ad emendum. *Secunda*, quando terminus ab utroque contrahentium imponitur, respetu alicuius per utrumque impleendi; si initio contractus adiiciatur, id est, antequam contractus sit perfectè initus, & obligatio contracta; tunc censetur adiectus ad finiendam obligationem, vt eo transacto non duret obligatio. Quando autem adiicitur contractui consummato, & obligationi iam perfectæ, censetur adiectus ad sollicitandum, nec ipsius lapsu extinguitur obligatio.

5 Quæres secundο, an hæc etiam valeant in sponsalibus? Aliqui putant semper dissolui sponsalia, elapsu termino præfixo, ex parte eius per quem non stetit. *Primo*, quia Pontifex cap. sicut, de sponsalibus, sineulla distinctione id affirmat. *Secundo*, quia sponsalia sunt initium matrimonij. Ergo non censetur consummatus esse contractus, quamdiu non perficitur matrimonium. Ergo si ex interuallo adiiciatur terminus, censetur adiici contractui imperfecto. Ergo iuxta secundam regulam lapsu termini extinguitur obligatio. Vide Nauarrum cap. 22. num. 27. Alii rectius distinguunt. Nam si sponsalibus iam contractis ex interuallo tractetur de die matrimonij celebrandi, lapsus termini neutrum liberat à promissione, quia cum terminus accedat contractui sponsalium perfectè inito, censetur adiectus ad sollicitandam obligationem. Ac proinde lapsus eius non extinguit obligationem, iuxta secundam regulam. Si autem ipso eodem tempore quo sponsalia contrahuntur, apponitur terminus, vt si aliqui non absolutè dent sibi fidem de matrimonio contrahendo, sed de contrahendo tali tempore, tunc lapsus termini eximit ab obligatione, non quidem utrumque sponorum, sed illum, per quem non stetit. Si tamen per utrumque stetit extinguitur obligatio utrumque. Quod si is, per quem stetit, culpa vacet, quia scilicet ob legitimum impedimentum non potuit perficere promissionem, non disoluuntur sponsalia, sed legitime differuntur.

QVÆSTIO XXIX.

*An dissoluantur sponsalia propter alterius sponsi
absentiam in longinquum profecti sine
alterius licentia?*

1 **I**N hac etiam re videtur ius Ciuale pugnare cum Canonico. Nam Canonicum nullum præscribit tempus expectandi sponsum absente, sed dicit liberum esse sponsæ, ut aliud ineat matrimonium si velit, cap. de illis, de sponsal., vbi Pontifex sic ait: *Si quis prædicto iuramento promittit se aliquam dueturum, & postea dimittit terram, se ad partes alias transferens, liberum erit mulieri ad alia se vota transferre.* Ius autem ciuale varie loquitur de hac re. Nam leg. 2. c. de sponsal., ait: *Sponsum absentem intra eandem prouinciam biennio expectandum.* Et leg. 2. c. de repudio dicit triennio expectandum (si extra prouinciam, secundum quosdam) & leg. saepe, ff. de sponsalibus, ait: *Si ex causa necessaria abest, expectandum esse donec causa cessat.* Et quamvis hæ leges tantum loquantur de absentia sponsi, idem tamen dicendum de absentia sponsæ, quia sunt correlativa; & ideo dispositum in uno censetur in alio disponi, ut habetur, l. fin. c. de indicta viduitate: *præfertim quando in utroque correlatio est eadem ratio, ut hic contingit.* Nunc ergo quæritur an necesse sit expectare tempus iure Ciuali præscriptum; an verò ius ciuale correctum sit per Canonicum, ut non sit opus expectare.

2 **P**rima Conclusio. Probabile est ius ciuale non esse correctum; ac proinde tempus iure ciuali præscriptum servandum esse. Ita Gloss. Ostiens. Syluest. Palud. & alij apud Sanchez, lib. 1. disput. 54. num. 5. Ratio est, quia ius Canonicum non negat tempus legale expectandum esse, sed tantum dicit liberum esse sponsæ nubere alteri si sponsus absit. Quæ absentia iuxta legis ciuilis præscriptum videtur accipienda. Legum enim correctio vitanda est, leg. præcipimus, c. de appellationibus.

3 **S**ecunda Conclusio. Probabilius est correctum esse ius ciuale per Canonicum, quia Pontifex cap. cit. definit liberum

rum esse sponsæ nubere alteri ; non autem liberum esset si deberet tamdiu expectare. Et huius decisionis Pontificia ratio est, quia sponsus abeundo longius sine licentia sponsæ censetur renunciare iuri sponsalium. Cur autem in hac re Canonicum à ciuijli iure discrepet, causa est, quia ciuijle solùm considerat bonum publicum externum, nec ad peccatum, aut conscientiam attendit ; quod tamen facit ius Canonicum. Vnde cùm ob sponsi longam absentiam in longinqua regione immineat sponsæ periculum fornicationis, concedit illam licentiam, ut possit alteri nubere si velit. Vide Henriquez lib.11.c.14.num.5. Nauarrus cap.22. num. 26.

4 Quæres primo, an hoc etiam verum sit, quando sponsalia sunt iurata ? Respondeo, quod sic, quia Pontifex *loco citato*, expressè loquitur de iuratis sponsalibus. Aliqui tamen putant esse differentiam inter iurata, & non iurata, quod ad dissoluenda iurata requiratur auctoritas iudicis ; non autem ad non iurata. Alij in vtroque casu putant eam requiri. Alij rectius in neutro, quia ius Canonicum expressè loquitur de iuratis, & tamen dicit liberum esse sponsæ, vt alteri nubat. At non esset liberum ei, si petenda esset priùs licentia iudicis, quia hic posset negare.

5 Quæres secundo, an hoc locum habeat in vtroque foro ? Henriquez putat in externo foro procedendum esse secundūm ius ciuile ; in foro autem conscientiae procedi posse secundūm Canonicum ius. Sed quæro : an ius ciuile corrigatur per Canonicum, an non ? Si corrigitur, iam in vtroque foro standum est iuri Canonicō, cùm sit materia Ecclesiastica. Si non corrigitur. Ergo cùm ius Canonicum disponit posse sponsam liberè cùm alio contrahere, intelligitur expectato tempore legali. Ergo in vtroque foro hoc tempus seruandum est.

6 Quæres tertio, an nostra sententia intelligatur de qua cumque sponsi absentia. Respond. intelligendam cum hac triplici moderatione. *Primo* de absentia in longinqua terra. *Secundo*, quando non est spes de proximo illius reditu. *Tertio*, quando non petiuit licentiam à sponsa.

QVÆSTIO XXXIX.

An sponsalia dissoluantur ob alterius fornicationem? Et

Prima Conclusio. Sponsalia, etiam iuramento firma-^{same to}ta, dissoluuntur per sequentem fornicationem, in fa-
uorem solius innocentis, ut definitur cap. quicunque admodum de
iure iurando. Vbi duplex affertur ratio. *Prima*, quia illud
iuramentum includit tacitam conditionem: si alter non
peccauerit contra legem desponsationis. *Secunda*, quia vir
post contractum matrimonium potest vxorem à sua
cohabitatione dimittere ob fornicationem. Ergo multò
magis ante contractum matrimonium potest eam dimit-
tere, & dissoluere sponsalia.

Secunda Conclusio. Idem dicendum est de fornicatione spirituali, ut si alter sponsus in heresim, vel apostasiā labatur, ut omnes concedunt. Nam tunc sit notabilis
mutatio in persona contrahente. Hoc tamen interest, quod
innocenti liberum sit contrahere, vel non contrahere ma-
trimonium cum fornicatore; cùm tamen in conscientia
non sit illi liberum contrahere cum heretico, ut infra sta-
tuetur.

Quæres primo, quid si sponsa ab alio vim passa sit, an
sponsus possit illam dimittere? Aliqui negant ex c. despon-
satas, 27. quæst. 2. vbi sic dicitur: *desponsatas puellas, & post ab*
alii raptas placuit erui (auferri) & reddi eis quibus antea
fuerant desponsatae; etiamsi à raptoribus vis illata constiterit.
Et ratio est, quia sponsa in tali casu est inculpabilis, nec
censetur fregisse fidem, nec in futurum suspecta redditur.
Secundo, quia in simili casu vxor non potest separari à
thoro coniugali. Nulla ergo apparet causa dissoluendi
sponsalia. Alij tamen putant dissolui posse, ex c. raptor, 27.
q. 2. vbi sic dicitur: *Raptor pœnitentia publica multetur: ra-*
ptam vero, si sponsus accipere noluerit, & ipsa eidē criminis con-
sentiens non fuerit, licentia nubendi alijs non negetur. Et ratio
est, quia, licet sponsa in tali casu sit inculpabilis, tamen fa-
cta est magna mutatio circa eam, propter quam meritò
sponsus potest eam repudiare; præsertim cùm vulgo satis
infame sit accipere corruptā in vxorem. Nec obstat textus

contra

880 CAP. XLIII. DE SACRAMENTIS
contrarius; quia ibi agitur de pueris desponsatis per verba de præsenti. Gloss. *ibid.* Nec est simile de matrimonio, quia facilius multò soluuntur sponsalia quam matrimonium quoad thorum. Vide Henr. *lib. II. cap. 14. num. 6.*

Quæres secundo: An si vterque post sponsalia fornicatur, compensentur delicta, ita ut neutri liceat a sponsalibus resilire? Affirmat Palud. quia in causa matrimonij vterque æqualis est. Alij rectius negant, quia multò turpior est fornicatio in sponsa, quam in sponso, in iure ciuii- li, & grauius detrimentum inde oritur. Ergo licet possit sponsus resilire, non tamen sponsa, nisi alter consentiat.

QVÆSTIO XXX.

An etiam ob alias causas dissoluantur sponsalia?

I P Ræter causas hæc tenus allatas supersunt quinque.
Prima est, si superueniat aliquod iuris impedimentum, quod dirimat matrimonium; vt, si contractis sponsalibus oriatur affinitas inter sponsos ex fornicatione cum consanguineis in primo, vel secundo gradu, quia tunc non potest inter illos consistere matrimonium.

Secunda est, si superueniat notabilis foeditas, vt oculorum vel nasi amissio, vel paraly sis, vel lepra. Tunc enim sponsalia etiam iurata dissolui possunt, vt expressè est in c. *quemadmodum iure iuri.* nisi alter sponsorum velit. Prioris autem ratio *ibid.* additur, quia iuramentum intelligitur, rebus in eodem statu permanentibus. Idem dico de quolibet morbo contagioso, vel incurabili superueniente; & multò magis de infamia ob furtum, aut simile flagitium.

Tertia causa, si inter sponsos oriatur capitalis inimicitia, quia tunc solet sequi infelix exitus, c. *requisiuit, de spons.*

Quarta, si notabilis morum asperitas, vel saevitia alterius postmodum cognita fuerit; vt colligitur c. *dilectus, de sponsal.* & ex c. *veniens, qui clerici vel videntes.* Nam hæc est sufficiens causa diuortij matrimonij, c. *literas, de restitu-* *tione spoliatorum.*

Quinta, si superueniat paupertas, vt si sponsa, quæ diues erat, sit redacta ad paupertatem. Quod tamen dupliciter potest contingere. *Primo*, vt promissio dotis præcesserit,

Secundus,

Secundo, ut ea non præcesserit. In priori casu dissolui possunt sponsalia, quia sponsus non tenetur illam ducere sine dote promissa. In posteriore dubium est. Aliqui negant dissolui posse, quia sponsus debet sibi imputare, quod nullum pactum inierit de dote tradenda. Alij affirmant, quia promissio intelligitur rebus in eodem statu permanentibus.

QVÆSTIO XXXII.

An hæ causæ dissoluant sponsalia, quando præcedunt?

Quedam ex illis, præsertim fornicatio, lepra, vel similis morbus, non solum, quando superueniunt, sed etiam quando præcedunt, dissoluunt sponsalia; si tamen probabilius ignoratæ fuerint ab altero sponso, alio qui debet sibi imputare. Ita San. 1.d.63. & alijs. Prob. primo, quia quando quis vendit rem vitiosam occultando vitium, tunc est sufficiens causa rescindendi contractum venditionis. E. est idem de contractu sponsalium. Secundo, quia in iure paria sunt, aliquid superuenire & ignoranter præcedere. Res enim dicitur fieri quando primum innotescit. c. Pastoralis, de except. Tertio, quia l. fin. c. de spons. dicitur resilientem à sponsalibus ex causa præcedente ignorata, non amittere arrhas. E. resiliendo non est culpabilis; alioqui illas amitteret. E. talis causa ignorata sufficit ad dissoluendū sponsalia.

Dices: Contrarium colligitur ex c. quemad. de iure iur. vbi Pontifex decernit sponsalia dissolui ob fornicationem superueniente, non autem præcedentem. Resp. Hoc verum est de præcedente cognita, non autem de ignorata.

QVÆSTIO XXXIII.

Quomodo sponsalia transeant in Matrimonium?

Vbi Conc. Trident. non est receptum, duobus modis transeunt sponsalia in matrimonium. Primo, per copulam subsecutam affectu maritali. Secundo, per mutuum consensum expressum per verba de præsenti; vt, *Accipio te in meam*: siue parochus & testes adsint, siue non. Vbi autem Concilium receptum est, uno tantum modo transeunt;

Kkk vide

Q V A E S T I O X X X V I .

An sponsalia cum hæreticis contracta sunt valida.

1 Prima Opinio est, non esse valida, sed ipso iure irrita.
Ita Nauar. l.4. *Conf. 1. de sponsalibus. Conf. 38. num. 6. vel*
Conf. 5. n. 6. Ratio est, quia omnis promissio de re turpi est
irrita. Sed, qui promittit se contracturum matrimonium
cum hæretica, promittit rem turpem & prohibitam. Ergo
est irrita promissio. Huc spectat illud Isidori apud Grat.
c. in malis. 22. q. 4. in malis promissis rescinde fidem. Et infra: *Im-*
pia est promissio quæ scelere adimpletur.

Secunda Opinio est, valida quidem esse, sed tamen re-
scindi posse, nisi hæreticus velit conuerti. Ratio, quia pro-
missio, quæ fit in sponsalibus, directè fertur in rem licitam
& honestam, nempe in contractum matrimoniale. Ergo
ex obiecto est honesta & licita. Quod autem promissarius
sit hæreticus, non tollit aut impedit illam honestatem ex
parte obiecti. Hoc patet in simili casu. Nam si infidelis in-
fidieli, aut hæreticus hæretico, aut Catholicus Catholicò
existenti in peccato mortali promitteret futurum matri-
monium, valida esset promissio.

Tertia Opinio est, sponsalia cum hæreticis contracta in
iis locis esse valida, vbi Catholicæ & Hæretici vivunt per-
mixti, ut in Germania, Anglia, Belgio. Ita sentire debent
illi, qui putant in iis locis posse Catholicos contrahere
matrimonium cum hæreticis, vt Ioan. Azor. l.8. *Inq. Moral.*
c. 11. q. 5. Et Sanch. l.7. *de matrim. disp. 72. n. 5.* qui citant pro
se Nauarr. Ratio est, quia, si tale matrimonium est licitum.
Ergo etiam promissio illius est licita.

2 Prima Conclusio: Catholicæ generatim loquendo pu-
tantur ex quadruplici capite peccare quando contrahunt
matrimonium cum hæreticis. *Primo*, quia faciunt contra
apertam prohibitionem Ecclesiæ. *Secondo*, quia præbent
aliis scandalum. *Tertio*, quia se & liberos suos exponunt pe-
riculo subversionis. *Quarto*, quia sacrilegium committunt
profa

profanando sacramentum matrimonij, dum illud hæreticis administrant. Vide P. Serar. q.z. de *Catholicon cùm hæretico matrimonio*.

3 Secunda Conclusio. Catholici in Germania possunt sepe excusari à tribus prioribus peccatis. A *primo*, quia canones prohibentes talia matrimonia non sunt recepti in Germania, vel certè per contrariam consuetudinem abrogati. A *secundo*, quia in Germania cessat scandalum. A *tertio*, quia fieri potest, vt Catholicus sit tam firmus & fundatus in fide, vt non sit periculum subversionis. Deinde potest ab initio contractus exciperet, vt proles catholicè educetur. De *quarto* plus dubij est, an excusari possint à sacrilegio. Occurrunt autem quatuor modi excusandi. *Primo*, si dicamus, coniuges non esse ministros matrimonij quatenus sacramentum est; sed solum quatenus contractus ciuilis est; parochum autem esse ministrum sacramenti. Ita sentit Mel. Can. & Pet. Ledesma. Hinc autem sequitur coniuges contrahendo matrimonium non posse sacrilegium committere; nisi fortè indignè suscipiendo Sacramentum. Hæc tamen opinio falsa est, vt infra videbimus. *Secundo*, si dicamus coniuges quidem esse ministros matrimonij, vt est Sacramentum, ita tamen vt quisque sibi ministraret, non autem alter alteri. Tunc autem Catholicus sine ullo sacrilegio contraheret matrimonium cum hæretica, si ipse esset in statu gratiæ; quia sibi soli & non alteri ministraret sacramentum. Sed hoc fundamentum videtur esse falsum; quia in mutuo contractu debet esse mutuum ministerium. *Tertio*, si dicamus sponsum Catholicum excusari à sacrilegio propter ignorantiam; quia nescit tales contractum esse sacrilegium. Hoc modo puto multos in Germania excusari, non solum idiotas qui nihil cogitare planè de sacrilegio; sed etiam doctos, qui quidem de eo cogitant, sed tamen sciunt esse controvsersum an sit sacrilegium, nec ne? Nam Sanchius & Azor videntur id negare, saltem implicitè. Et cùm horum sententia sit probabilis, potest aliquis eam sequi, præsertim, si bona fide agat. Pro quo notentur hæc duæ regulæ. *Prima*, quando sunt duæ contraria sententiae de aliqua re ad conscientiam pertinente, qui doctus est, & de utraque iudicare potest,

debet illam sequi in praxi, quam iudicat esse veriorem. *Secunda*, qui autem (licet doctus sit) non potest iudicare, sed quasi suspensus haeret, potest alterutram sequi, quam velit; modo utraque habeat probatos Authores, ut in proposito contingit. *Quarto* excusari potest, si Catholicus habeat certam spem de conuersione alterius; quod duplicit fieri potest. *Primo*, ex parte Catholicus, ut si ipse sperret se effectum ut vxor haeretica conuertatur. *Secondo*, ex parte coniugis haereticæ, ut si ipsa sic sit affecta, ut serio cupiat esse Catholicæ. Hæc posterior spes sufficit ad licitè contrahendum.

4 Tertia Conclusio: Satis probabile est sponsalia Catholicorum cum haereticis contracta esse valida in Germania. *Primo*, quia probabile est matrimonium cum illis contractum esse licitum, ut docent Sanchius & Azor cum Nauarro. *Secondo*, quia in re dubia iudicandum est in fauorem matrimonij. Cum ergo dubium sit, an matrimonium cum Haereticis contractum sit licitum in Germania, iudicandum est in benigniorem partem; consequenter dicendum est, sponsalia esse valida. *Tertio*, quia tametsi matrimonium non esset licitum, tamen sponsalia videntur posse esse valida. Nam sponsalia non continent promissionem sacramenti, sed tantum contractus ciuilis. Hic autem contractus licitus & honestus est. Confirmatur, quia sponsalia in ratione sponsalium semper sunt eiusdem naturæ. Sed in veteri Testamento ex sua natura dicebant ordinem ad solum contractum ciuilem. Ergo & nunc. *Quarto*, quia, qui promittit futurum matrimonium, censetur illud promittere seruatis conditionibus matrimonij. Ergo censetur promittere se contractum matrimonium, si tempore futuri contractus non sit ullum impedimentum. Hæc autem promissio valida est, & tunc denum rescindi potest, quando tempore præstituto, quo implenda esset, maneret impedimentum. *Quinto*, quia, si post contracta sponsalia haereticus conuerteretur; iam valida essent. Ergo ab initio erant valida. *Sexto*, quia ex contraria sententia sequitur *Primo*, nunquam esse valida sponsalia inter duos haereticos contracta. *Secondo*, nec inter duos Catholicos existentes in mortali. *Tertio*, utrumque tam sponsum quam sponsam

sponsam semper posse ac debere resilire à fide sponsalium.
Hæc omnia sunt contra communem hominum sensum, &
consuetudinem.

CAPVT XLIV.

DE MATRIMONIO
SECUNDVM SE.

DI C A M primo, quid sit Matrimonium. Secundo, an sit licitum. Tertio, an sit in præcepto. Quarto, an sit sacramentum. Quinto, quæ sit materia & forma illius. Sexto, quis Minister. Septimo, quid sit ratum & consummatum Matrimonium.

QVÆSTIO I.

Quid sit Matrimonium?

Prima Conclusio: In Matrimonio (seclusa ratione sacramenti de qua post) quinque spectari possunt. *Primo*, ipse contractus seu actus contrahendi, qui consistit in mutuo consensu explicato per verba de præsenti, ut accipio te in meum vel meam. *Secundo*, ex illo contractu oritur mutua vtriusque obligatio ad actus coniugales, qui ad procreationem & educationem liberorum pertinent. *Tertio*, in hac obligatione fundatur quædam coniunctio, seu vinculum animorum vtriusque coniugis; quod non consistit in amore & caritate, sed in quadam vniione, quæ consequitur mutuam obligationem & facit, ut duo coniuges indissolubili vinculo connexi sint quasi vnum principium in ordine ad procreationem prolis. *Quarto*, est ius seu potestas licet exercendi actus coniugales. *Quinto*, est usus huius potestatis. Vide Val. q.1. part.1. & Henriq. lib.ii.c.8. per totum ferè.

Secunda Conclusio: Matrimonium non consistit essentialemente in illis omnibus, sed potissimum in vinculo animalium inter coniuges. Vnde à Magistro 4. dist. 27. & à D. Th. in suppl. q.44. a.2. sic definitur: *Matrimonium est*

maritalis coniunctio viri & mulieris inter legitimas personas indiuīduam vitæ consuetudinem retinens. Hæc enim coniunctio, seu hoc vinculum semper durat, quamdiu vir & mulier coniuges verè appellantur. Cætera non semper durant. Contractus enim, seu consensus per verba de præsenti explicatus est aetio transiens; potestas vero exercendi actus coniugales potest suspendi, si ambo coniuges voleant perpetuam continentiam ex mutuo consensu. Solum ergo vinculum perpetuò durat fundatum in mutua coniugum obligatione. An autem hoc vinculum sit aliquid absolutum, an potius sit relatio, sive realis, seu rationis, disputatur. Probabile esse realem.

Q V A E S T I O I I .

An matrimonium sit bonum & licitum?

Negarunt olim multi Hæretici, ut Saturninus, Marcion, Tatianus, & Sectatores huius Encratitæ: Manichæi, Priscillianistæ & Adamiani, qui sic appellati sunt, quod dicerent, ex Adami peccato prouenisse Matrimonium, ac proinde esse malum, neque futurum fuisse in statu Innocentia, sed singulos homines tunc producendos fuisse à Deo. Vide Aug. l. de hæresib. c. 31. in tom. 6.

2. Prima Conclusio: Matrimonium est per se res bona & licita. Probatur primo, quia ipsemet Deus instituit Matrimonium, Gen. 1. & 2. vt interpretatur Christus, Matth. 19. v. 6. vbi ex Diuina Institutione confirmat vim & indissolubilitatem Matrimonij, cum ait: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separat.* Secunda, quia Deus non solum instituit, sed etiam peculiari quadam benedictione approbavit Matrimonium partim ante peccatum, Gen. 1. v. 28. *Benedixit illis Deus & ait, Crescite & multiplicamini:* partim post peccatum. Gen. 9. v. 1. *Benedixit Deus Noë & filiis eius,* & dixit ad eos, *Crescite & multiplicamini.* Similiter Christus sua præsentia cohonestauit nuptias in Cana Galileæ. Tertio, probatur ex 1. Cor. 7. v. 38. *Qui Matrimonio conjungit virginem, bene facit.* 1. Tim. 5. v. 14. *Volo ergo iuniores nubere.* Hebr. 13. v. 14. *Honorabile connubium in omnibus.* Quarto, probatur ratione naturali, quia illud per se bonum & li-

citum est, quod per se ordinatur in bonum & licitum finem. At Matrimonium ordinatur ad duos bonos & licitos fines, nempe ad procreationem & educationem prolis, & ad mutuum obsequium viri & mulieris, ut docet Aristoteles 8. Eth. c. 12.

3 Secunda Conclusio: Matrimonium ante peccatum fuit institutum ob duplarem finem naturalem explicatum, quorum fit etiam mentio in Scripturis. *De priori* enim intelligitur illud, *Crescite, &c.* *De posteriori* illud: *Faciamus homini adiutorium simile illi.* Post peccatum vero ordinatum est ad alium finem, nempe in remedium concupiscentiae. *1. Cor. 7. v. 2.* *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque suum virum:* Et infra, *Melius est nubere, quam vivi.* Deinde in lege Evangelica additum est, ut esset quoque sacramentum, de quo *inservi.* Sunt ergo quatuor fines, iisque boni & honesti, ob quos Matrimonium institutum est. Vnde sequitur Matrimonium esse bonum & honestum.

4 Obiicit Tatianus: Actus Matrimonij est eiusdem speciei cum actu fornicationis & adulterij. Sed hic est malus. Ergo & ille. Respondeo. Est quidem eiusdem speciei in genere naturae, non tamen in genere moris. Nam fornicator & adulterer non habent legitimum ius ad illum actum; maritus autem habet. Simile est de actu occisionis hominis, qui in genere naturae est eiusdem speciei, siue fiat a Magistratu, siue a priuato homine: multum tamen differt in genere moris.

Q V A E S T I O III.

An Matrimonium sit in precepto?

1 **R**atio dubij est, quia *Genes. 1. & 9.* videtur ita præcipit: *Crescite & multiplicamini.* Contraria vero in nouo Testamento consulitur virginitas. *1. Cor. 7.* Nota, quæstionem posse intelligi de triplici præcepto, naturali, Diuino, & humano.

2 Prima Conclusio: Matrimonium, ut est officium naturae, semper fuit in præcepto naturali, quod tamen præceptum non singulos, sed totam communilitatem obligat. Ita

D.Th. q.41. a.2. cuius ratio est, quia inclinatio naturæ tunc obligat singulos per modum præcepti, quando id ad quod est talis inclinatio, necessarium est ad perfectionem singulorum : quando vero solùm est necessarium ad confirmationem multitudinis, obligat solùm multitudinem, seu reatores multitudinis. Atqui matrimonium non est necessarium ad perfectionem cuiusque hominis, sed solùm ad conservationem communitatis. Ergo inclinatio naturæ, quæ est ad Matrimonium, non obligat singulos, sed tantum communitatem. Et confirm. quia sicut Matrimonium est necessarium ad conservationem communitatis, sic etiam agricultura, ædificatoria, & similia officia, quæ tamen non obligant singulos, sed satis est si diuersi diuersa exequantur.

3 Secunda Conclusio : Matrimonium, ut est officium naturæ, fuit in præcepto Diuino à principio mundi usque ad diluvium, & à diluvio usque ad Christum, non tamen post Christum. Prima pars est probabilis, & colligitur ex illo, *Crescite & multiplicamini.* Ex quo colligunt Patres fuisse singulis hominibus præceptum Matrimonium, quando terra erat vacua. Ita Tertull. *in exhort. ad Castit.* Et *I. de Monogamia.* Cyprianus *I. de habitu virginum.* Hieronymus. *I. contra Iouianum.* August. *I. 9. de Genesi ad literam.* Et *I. 2. de nuptiis & concup. cap. 4.* Et *I. de Sancta virginitate, cap. 9.* Fato tamen aliquos esse, qui putent illis verbis contineri institutionem, non præceptum. Aut, si præceptum est, non obligare singulos, sed totum genus humanum.

Secunda pars, quia Christus *Matth. 19.* consulit omnibus castitatem. Et *Apostolus I. Cor. 7.* *Volo omnes homines esse sicut me ipsum.* Vnde S.Bonavent. Richard. & alij docent præceptum Diuinum, quod initio mundi datum fuerat de Matrimonio, reuocatum fuisse à Christo, quia non potest consistere cum virginitate, quam Dominus consulit.

4 Tertia Conclusio : Matrimonium, ut est officium naturæ, posset esse in præcepto humano in duobus casibus, Primo, si esset vrgens necessitas conseruandæ communitatis. Tunc enim præceptum naturale obligaret Principem, ut aliquos compelleret ad matrimonium sub præcepto humano. Ita Henr. c.1. num. 6. An autem in tali casu posset compell

compellere Religiosos, qui professi sunt castitatem, contradicendum esset.

Quæres : Quid faciendum si Princeps esset negligens? Respondet Richard. tunc obligari priuatum quemcunque, quatenus iudicaret suum Matrimonium esse necessarium ad mundi conseruationem. Alter casus est, si per Matrimonium alicuius vitari posse grauissimum bellum, aut heres, vel aliud magnum incommodum. Tunc enim Respublica posset præcipere illi Matrimonium.

5 Quarta Conclusio : Matrimonium, ut est remedium contra concupiscentiam non est per se in præcepto, potest tamen esse per accidens. *Prius patet*, quia contra concupiscentiam possunt alia media adhiberi, ut abstinentia & castigatio corporis. *Posterior*, quia si quis vratur, nec velit alio medio iuuari, debet inire Matrimonium. 1. Cor. 7. Propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat.

Q V A E S T I O I V .

An Matrimonium sit sacramentum?

1 **N**egant Lutherani & Caluinistæ, affirmant Catholici & Zuingliani.

2 Prima Conclusio : Matrimonium est propriè dictum sacramentum nouæ legis, ita Trid. definiuit s. 24. c. 1. Et probatur ex illo Eph. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo & Ecclesia*, id est, quod homo relinquit Patrem & Matrem, & adhæreat vxori, hoc est magnum sacramentum, quia est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia.

Nota, Apostolum in illo capite hortari ad mutuam benevolentiam coniuges, & inter alia argumenta hoc potissimum adducere, quod ipsorum coniugium non sit res levius & contemnenda, sed magnum mysterium includat, quod ad Christum & Ecclesiam referatur.

Nota secundo, duplex est coniunctio Christi cum Ecclesia. Una est per naturæ conformitatem, quæ facta est in Incarnatione, & Christum coniungit non solum cum Ecclesia, sed etiam cum toto genere humano. Altera est per gra-

tiam & charitatem, qua Christus soli Ecclesia coniungitur, eamque diligit & sancte gubernat; & vicissim ipsa Ecclesia Christo adhaeret per fidem, spem & charitatem; eique per obedientiam subiicitur. Et ab hac coniunctione Christus dicitur sponsus & Ecclesia sponsa. Vtramque haec Christi cum Ecclesia coniunctionem significat & representat matrimonium Christianorum. Est enim duplex unio, seu coniunctio in tali Matrimonio. Una naturalis & ciuilis, quae oritur ex contractu ciuili, & est communis Christianis cum gentilibus. Altera spiritualis, quae oritur ex gratia sacramentali & est propria coniugum Christianorum. De hac posteriore potissimum ait S. Paulus *loco cit.* monens viros diligere vxores sicut Christus Ecclesiam dixit; & vxores obedient viris, sicut Ecclesia obedit Christo.

Hinc confirmatur conclusio, quia, si Deus coniungit in novo Testamento virum & foeminam ad hunc finem, ut spirituali sua unione significant spiritualem unionem Christi & Ecclesiae, sine dubio largitur illis gratiam, sine qua non haberent illam unionem spiritualem, de qua gratia *in seq. canel.*

3 Secunda Conclusio: Matrimonium, ut sacramentum, confert quatuor dona gratiae, quae coniugibus necessaria sunt; verbi gratia fidem, id est, fidelitatem, dilectionem, sanctificationem & sobrietatem. Patet ex 1. Tim. 2. v. 15. *Salutabitur autem mulier per filiorum generationem, si permanferit in fide & dilectione & sanctificatione cum sobrietate.* Quasi dicat: Mulier in statu Matrimonij salua fiet, si permanferit in iis donis quae accepit in celebratione matrimoni.

Nota, quatuor sunt mala, quae sine gratia Dei non possunt evitari in Matrimonio. *Primo*, non seruare coniugi fidem matrimonialem. *Secundo*, odium & rixae, quae aliquando inter coniuges oriuntur. *Tertio*, immunditia quedam & turpitudine ex rebellione membrorum. *Quarto*, intemperantia. His malis opponuntur dona dicta, quae vi sacramenti conferuntur, & in quibus, teste D. Paulo, permanendum est. Hinc 1. Cor. 7. v. 7. ubi Apostolus agit de Matrimonio & virginitate verumque vocat donum Dei, cum ait: *Vnausquisque proprium donum habet ex Deo, unus quidem sic, alius vero sic.*

3 Obiicies primo, Matrimonium Adae & Euae & aliorum Patrium

Patrum veteris Testamenti fuit etiam signum futuræ coniunctionis Christi cum Ecclesia ; & tamen non erat sacramentum. Ergo ex tali signo non colligitur ratio sacramenti. Resp. *Primo*, non desunt Catholici qui afferunt Matrimonium in veteri Testamento fuisse etiam sacramentum, ac proinde à Christo non tam institutum esse, quam confirmatum, neque esse proprium nouæ legis. Ita Alf. à Castro *lib. 11. contra hæreses. v. nuptiæ. her. 3.* Petrus Sotus *lett. 2. de Matrimonio*, & Catharinus apud Henr. *lib. 11. c. 2.* & probant *primo*, quia Deus benedixit coniugio Adami & Euæ. Ergo videtur gratiam adiunxisse signo externo. *Secundo*, quia Leo Pontifex *Epist. 92. ad Rusticum* dicit, nuptias ab initio sic institutas ut haberent in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum.

Hæc opinio non placet. *Primo*, quia D. Th. & alij contrarium docent. *Secundo*, quia Tridentinum *loco citato*, apertè dicit Matrimonium esse sacramentum legis Evangelicæ & à Christo institutum. Illa autem Benedictio, qua Deus benedixit coniugia Adæ & Euæ, fuit corporalis pertinens ad fœcunditatem, non autem spiritualis ad gratiam, ut rectè probat D. August. *lib. 13. Confess. cap. 24.* ex eo quod eadem benedictio data sit piscibus & auibus. S. Leo loquitur, non de initio mundi, sed de initio institutionis nuptiarum; quod rectè intelligi potest de noua institutione per Christum facta.

Resp. *Secundo*, Matrimonium Adami & Euæ significasse futuram Unionem Christi cum Ecclesia; Matrimonium autem Christianorum significare præsentem etiam. Vnde sicut sacraenta vetera non conferebant gratiam, tametsi significarent venturum Christum, noua autem conferunt gratiam, quia præsentem significant. Sic seruata proportione dicendum est de Matrimonio.

¶ Obiicies *secundo*, Matrimonium non videtur conferre gratiam, ut docent multi Canonistæ cum Durando. Ratio Canonistarum est, quia licet fit pactum de Matrimonio contrahendo, etiamsi certa summa pecuniæ numeretur. Hoc autem non fieret licet si Matrimonium conferret gratiam; quia tunc gratia Dei emeretur pecuniis, quod est simoniacum. Ratio Durandi, quia Matrimonium nec

confert

692 C A P . X L I V . D E S A C R A M E N T I S
confert primam gratiam, nec augmentum illius. Non primam, quia duo tantum sacramenta instituta sunt ad remissionem peccatorum, & consequenter ad primam gratiam conferendam. Nec augmentum illius, quia, quando virgo existens in gratia contrahit Matrimonium, non accipit maiorem gratiam, sed potius patitur damnum maioris gratiae, iuxta 1. Cor. 7. v. 38. qui nubis, bene facit: qui non nubis, melius facit. Et infra: beatior erit si sic permanserit.

Resp. canonistæ cum Durando errant. Nec illorum ratio concludit, quia, ut recte docet D. Th. 2. 2. quest. 100. art. 2. & in 4. dist. 25. quest. 3. art. 2. quest. 1. in Matrimonio non solum sacramentum, sed etiam contractus ciuilis spectari potest. Vnde, licet non possit dari, vel accipi pecunia pro sacramento, potest tamen pro ciuili contractu ad onera Matrimonij toleranda. Similiter non concludit ratio Durandi, quia Apostolus confert statum cum statu, non autem statum cum sacramento. Status Virginitatis altior est statu Matrimonij, & maioris gratiae ac meriti, ut bene colligitur ex loc. cit. sacramentum tamen semper auget gratiam, in quoconque statu suscipiatur.

7 Quæres primo, an Matrimonium infidelium, cum ambo baptizantur, fiat sacramentum? Aliqui Thomistæ negant apud P. Ledesmam, de Matrimonio quest. 59. art. 2. dub. 3. Ratio est, quia nouum sacramentum requirit nouam materiam & formam. At in Baptismo infidelium non est nouus contractus Matrimonij, sed antiquus perseverat. Ergo non fit nouum sacramentum. Alij adfirmant sacramentum, non quidem statim in Baptismo, sed cum habent postea nouum consensum, vel antiquum verbis, aut nutibus approbant. Ita Palud. & Capreol. 4. dist. 26. & Ioan. Eckius, hom. 73. de Sacramentis. Ratio est, quia Matrimonium ante Baptismum contractum poterat dissolui, post Baptismum autem non potest amplius dissolui. Ergo post Baptismum fit sacramentum. Non potest autem fieri nisi per nouum consensum. Ergo. Alij denique docent effici sacramentum statim in Baptismo, nec requiri nouum consensum. Ratio est, quia statim in Baptismo fit indissolubile, & significat spiritualem unionem Christi cum Ecclesia. Vide Henriquez l. 11. c. 2. n. 1.

8 Quæres secundo, an Matrimonium fidelis cum infideli sit sacramentum? Hoc pendet ex aliqua quæstione: an Matrimonium sit vnum tantum sacramentum. Aliqui putant esse duo. *Primo*, quia sacramenta multiplicantur secundum numerum suscipientium. Sunt autem duo suscipientes, scilicet vir, & fœmina. *Secundo*, quia vnum numero accidentis non potest esse in duobus distinctis subiectis. *Tertio*, quia in viro est gratia sacramentalis distincta à gratia mulieris. Alij rectius dicunt esse vnum tantum sacramentum. Ratio est, quia est vnis tantum contractus inter virum & fœminam. Huic autem contractui annexa est ratio sacramenti. Hinc sequitur, vel ex utraque, vel ex neutra parte coniugum debere esse sacramentum.

9 Quæres tertio, quare Matrimonium vocetur magnum sacramentum? Resp. sacramentum quadruplici sensu potest vocari magnum. *Primo*, necessitate, vt Baptismus. *Secundo*, ratione contenti, vt Eucharistia. *Tertio*, ratione ministri, vt Ordo & Confirmatio. *Quarto*, in ratione signi, vt Matrimonium, quia significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est res maximi momenti.

Quæres quarto, quid sit in Matrimonio sacramentum tantum, & quid res tantum, & quid res & sacramentum simul? Resp. Sacramentum tantum est contractus ciuilis. Res tantum est Gratia sacramentalis. Res & sacramentum simul est maritalis coniunctio, seu vinculum illud quod nascitur ex mutuo contractu. Nam illa coniunctio significatur per contractum externum, & significat gratiam sacramentalem, qua coniuges vniuntur in charitate, & praeterea coniunctionem Christi cum Ecclesia.

QVÆSTIO V.

Quæ sit materia & forma huius sacramenti?

1 *P*rima Opinio est: verba contrahentium esse materiam, verba autem sacerdotis esse formam Matrimonij, quatenus sacramentum est, non tamen quatenus contractus est. Ita Canus l.8. de locis Theol. c.5.ad 3. Putat enim Matrimonium sine præsencia sacerdotis esse quidem validum.

394 CAP. XLIV. DE SACRAMENTIS
dum contractum; non tamen sacramentum. Quod in seq.
quest. refutabitur.

2 Secunda Opinio est, mutuum consensum contrahentium esse materiam, verba autem quibus ille consensus exprimitur, esse formam, quia consensus informatur per verba. Ita communiter Canoniste c. tua nos, de sponsal. Et Natur. in *Man. cap. 22. n. 20.* Sed ab aliis reiicitur hæc opinio, quia totalis materia sacramenti debet esse sensibilis; licet partialis, ut contritio in sacramento pœnitentiae, possit esse non sensibilis.

3 Tertia Opinio est omnino contraria, consensum esse formam, verba autem consensus experientia esse materiam, quia consensus determinat & perficit verba. Nam consensu secluso verba nihil efficierent. Ita Ioan. Maior. in *4.d.26. q.1.* Sed eodem modo refellitur, quia forma debet esse sensibilis, sed internus consensus non est sensibilis.

4 Quarta Opinio est, ipsos contrahentes esse materiam, verba autem contrahentium esse formam. Ita Palud. in *4.d. 26. q. 4. a. 3. ad 2.* Sed refellitur, quia in ceteris contractibus, ut in emptione, locatione, commutatione non potest res vendita, locata, commutata dici materia ex qua conficitur contractus; sed tantum dicitur materia circa quam versatur.

5 Quinta Opinio, verba à priori contrahente prolata materiam, prolata autem à posteriori esse formam, sicut in numero ultima unitas est forma præcedentium, quia per hanc determinantur præcedentes ad certam numeri speciem. Ita Richardus, Victoria, Ledesma & Henr. *I. II. cap. 2. n. 5.*

104ac
6 Sexta Opinio est, verba, quibus consensus mutuus exprimitur esse sibi inuicem materiam & formam secundum diuersas rationes. Nam in verbis contrahentium duo speſtari possunt. *Primo*, expressio mutua traditionis, qua quilibet tradit alteri sui corporis potestatem: Et hac ratione dicuntur materia. *Secundo*, expressio mutua acceptationis, qua quilibet acceptat traditionem ab altero sibi factam: & haec ratione dicuntur forma. Ita D. Th. Dom. Sotus & Suarez *tom. 3. diff. 2. sect. 1.* Ratio est, quia illa traditio est imperfecta & inefficax donec acceptatio accedat. Tunc enim perficiatur.

perficitur & determinatur in ratione Matrimonij.

2 Prima Conclusio. Si Matrimonium spectetur ut est in fieri, sic consensus utriusque coniugis per externa verba, vel signa expressus, quatenus continet mutuam traditionem, habet rationem materiae, quatenus autem continet mutuam acceptationem, habet rationem formae. Ipsi vero contrahentes sunt materia circa quam versatur contractus in fieri. Hoc sensu vera est *sexta opinio*.

3 Secunda Conclusio. Si Matrimonium spectetur ut in facto esse, sic contrahentes habent rationem materiae ex qua coniunctio vero, seu unio contrahentium, quae ex mutua obligatione oritur, habet rationem formae. Hoc sensu intelligenda est definitio Matrimonij *superius* allata.

Q V A E S T I O V I .

Quis sis minister huius sacramenti?

1 C_{on}trum est, Ministrum Matrimonij, quatenus contra-
ctus ciuilis est, esse contrahentes ipsos. Nam is dicitur minister alicuius contractus, qui facit illum contractum. Sed contrahentes per mutuum consensum illum faciunt. Quæritur ergo, quis sit Minister quatenus sacramentum est. Aliqui putant sacerdotem, seu Parochum. Ita Canus *loco citato*, & autor Enchiridij Concilij Colonensis, §. de *Ministro*. Ratio, quia actio sacramentalis est sacra. Ergo minister debet esse sacer. Deinde, quia Trident. *sess. 24.* c. 1. mandat ut Parochus habitu contrahentium consensu proferat haec verba: *Ego vos coniungo*. Ergo Parochus vere coniungit, & conficit sacramentum; Alioqui verba ipsius essent falsa. Hinc sequitur Matrimonia clandestina, quae ante Tridentinum celebrata sunt, fuisse quidem valida; non tamen habuisse rationem sacramenti.

2 Prima Conclusio. Parochus non est Minister huius sacramenti, sed ipsi contrahentes. Est communis. Et probatur primo, quia nec ex Scriptura, nec ex ullo Concilio, vel Traditione colligi potest Parochum esse Ministrum huius sacramenti. Quod autem ipsi contrahentes sint ministri, colligi potest ex natura contractus, circa quam nihil mutatum est, nisi quod rationem sacramenti adiecerit. Secundo,

quia

896 CAP. XLIV. DE SACRAMENTIS
quia ante Tridentinum Matrimonia clandestina non solum valida, sed etiam indissolubilia semper habita sunt. At non fuissent indissolubilia nisi ratione sacramenti. *Tertio*, quia causae Matrimoniales, etiam ante Tridentinum, pertinebant ad tribunal Ecclesiasticum. Ergo signum est Matrimonium non fuisse contractum merè ciuilem, sed etiam sacramentum. *Quarto*, quia licet actio sacramentalis debeat esse sacra, non tamen necesse est Ministrum esse sacrum, ut patet in Baptismo, quem etiam laici conferre possunt.

3 Secunda Conclusio. Tametsi Parochus non sit propriè Minister sacramenti, tamen ex decreto Concilij Tridentini debet esse præsens, ut exquirat consensum coniugum, & eundem approbet, declareret, & sacerdotali Benedictione confirmaret; Ita *Sess.24.cap.1. de Matrimonio.* Vnde sequitur requiri præsentiam Parochi, non ut sit Minister sacramenti, sed ut conditio quædam necessaria ad valorem contractum. Vide *Suar. t.3. diss.16. sect.1.*

Q V A E S T I O V I I .


Quid sit Matrimonium ratum & consummatum, & quomodo differant?

1 Rima Conclusio. Illud Matrimonium dicitur ratum in iure Canonico, quod est firmum & dissolui non potest, ut patet ex *cap. quanto, de diuortiis*, vbi Innocens III. dicit Matrimonium infidelium, etiamsi verum & legitimum sit, non esse ratum, quia potest solvi; Matrimonium vero fidelium esse ratum, quia non potest solvi. Hinc soluit illam quæstionem, cur, si alter infidelium coniugum convertatur ad fidem, possit transire ad alias nuptias viuente priore coniuge; non autem si alter coniugum fidelium fiat haeticus, aut gentilis? Horum enim coniugium est ratum, & indissoluble; non autem illorum.

2 Secunda Conclusio. Apud Christianos distinguitur Matrimonium ratum à consummato. Ratum dicitur, quod quidem legitimè contractum est per verba de præsenti, sed nondum subsecuta est copula carnalis. Consummatum est, quando subsequitur copula.

Quæres: an Matrimonium consummatum sit rato perfectius?

fectius? Mich. Medina lib. 5. de *Continentia*, cap. 66. dicit matrimonium ratum ante consummationem non esse Sacramentum, & ideo per dispensationem dissolui posse. Reliqui Theologi contrarium docent, afferentes ratum matrimonium esse verum Sacramentum, & tam perfectum essentialiter, quam est consummatum. Differunt tamen quoad aliquam significationem. Ratum enim significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per charitatem. Consummatum autem significat etiam coniunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem, seu Naturæ conformitatem, ut Innocentius III. cap. *debitum de bigamis*. Ratio est, quia per matrimonium consummatum duo coniuges sunt una caro, ut habetur cap. 2. de *Conuersione coniugatorum*. Ergo per id matrimonium optimè significatur duas naturas uniri in una, & eadem Persona Verbi.



CAPUT XLV.

De consensu, qui est causa efficiens ipsius Matrimonij.

PRIMO generatim queritur, an consensus contrahentium sit necessarius ad matrimonium. Secundo, an debeat esse omnino voluntarius, & non coactus. Tertio, an absolutus & minimè conditionatus. Quarto, an expressus & manifestus. Quinto, quodnam sit obiectum huius consensus, id est, in quid consentiant. Sexto, an consensus parentum requiratur.

QUESTIO I.

An consensus contrahentium sit necessarius ad Matrimonium?

IN matrimonio quinque spectari possunt, ut dixi *supra*. Primo, contractus matrimonialis. Secundo, obligatio mutua, quæ oritur ex illo contractu. Tertio, vinculum animorum. Quarto, ius & potestas exercendi actus coniugales. Quinto, usus seu exercitium illius potestatis. De contractu dubium non est, quia constat illum fieri non posse sine mutuo consensu contrahentium. Nam in mutuo

398 CAP. XLV. DE SACRAMENTIS
consensu consistit essentia contractus. Tota ergo difficultas est de obligatione, & vinculo matrimonij; an ad ea simpliciter necessarius sit consensus viri & mulieris.

~~no fac~~ Prima Conclusio. Posset Deus absolute loquendo facere mutuam obligationem, & vinculum matrimonij inter virum & foeminam sine horum consensu. Ita Paludanus, D. Sotus, Ledesma, Victoria, & alij citati apud Henr. lib. II. cap. 1. num. 3. contra Adrianum. Probatur primo, quia expressus consensus viri & foeminae non est causa formalis, sed effectiva vinculi matrimonialis. Sed Deus potest supplere vicem causae efficientis. Ergo potest supplere consensum viri & mulieris, & sine hoc efficere vinculum matrimonij. Secundo, quia Deus est absolutus Dominus humani corporis, & totius hominis. Ergo potest transferre dominium illius, non expectato hominis consensu. Confirmatur, quia, si homo potest sui corporis potestatem alteri tradere cum perpetuo vinculo obligationis, multò magis id poterit Deus, qui habet maius dominium humani corporis, quam ipsem homo.

3 Quæres: an aliquando Deus hoc fecerit? Franc. Viria in *elect. ac matrimonio, part. 1.* docet eum hoc fecisse in matrimonio Adæ & Euæ. Itemque in coniugio Osæk, & mulieris fornicariæ. Idem sentit Ledesma de matrimonio Adæ & Euæ, cùm asserit Deum præuento eorum consensu copulasse illos dicendo, *crescite & multiplicamini.* Et probatur primo, quia Scriptura non commemorat eos in matrimonium consensisse. Secundo, quia Matth. 19. Christus fatigis insinuat solum Deum coniunxit primos parentes sine consensu eorum, dicendo; *quod Deus coniunxit, homo non separat.* Sed contraria sententia est communior & probabilior. Primo, quia ad suam Dei prouidentiam spectabat, ne primum matrimonium quod aliorum norma, & exemplar erat, sine proprio consensu confisteret. Secundo, quia si despensatio Verbi cum Humanitate non est facta sine consensu Beatæ Virginis, multò minus despensatio primorum parentum debuit fieri sine mutuo consensu, præsertim cùm hæc sit onerosa, non autem illa.

4 Secunda Conclusio. Secundum legem Dei ordinariam adeo necessarius est mutuus consensus viri ac foeminae, ut

sine

sine illo non possit esse verum matrimonium, aut vinculum matrimoniale. Est communis. Et colligitur ex Tridentino *sess. 24.* Et ex iure Canon. 27. *quest. 2.* per multa capitula. Ratio, quia matrimonium ita debet contrahi secundum legem Dei ordinariam, ut mutua charitas & benevolentia coniugum possit consistere & conseruari. Hoc autem ordinariè fieri non potest sine mutuo consensu. *Secundo*, quia ad omnem effectum particularem requiritur concursus causæ proximæ ad illum effectum ordinatæ secundum legem Dei ordinariam, ut patet inductione. Sed consensus viri & foeminæ est causa proxima vinculi, & obligationis maritalis, & ad hunc effectum per se ordinata. Ergo consensus ille ordinariè necessarius est.

5 **Tertia Conclusio.** Hic consensus, qui ordinariè necessarius est, non potest suppleri per ullam humanam autoritatem; unde nec Pontifex, nec ullus Princeps sæcularis potest quemquam cogere ad matrimonium, etiam si appareat vrgens necessitas. Ita D. Soto in 4. *dist. 29. qa. art. 4.* & alij contra Hostiensem.

Probatur *primo*, ex fine matrimonij, qui est mutuus amor, & educatio proli. Hic autem finis non potest haberi sine mutuo consensu. *Secundo*, quia nusquam legimus Deum deditus Pontifici, aut alicui Principi hanc potestatem. *Tertio*, neque Ecclesia vñquam vfa est hac potestate, cum tam s̄epe fuerit vrgens necessitas. *Quarto*, quia Ecclesia non potest statuere, ut matrimonium inter coniuges Christianos non sit Sacramentum. Atqui non esset Sacramentum si fieret sine consensu coniugum. *Primo*, quia ratio Sacramenti superuenit matrimonio, quatenus est contractus ciuilis, ut omnes fatentur. At non esset ciuilis contractus sine mutuo consensu. Ergo nec Sacramentum. *Secundo*, quia Sacraenta non suscipiuntur ab inuitis, sed à spontaneis. *Tertio*, quia decesset minister Sacramenti.

6 **Prima Obiectio.** Deus potest sua authoritate coniungere aliquos matrimonio sine illorum consensu, vt dictum. Ergo etiam potest Pontifex aut Imperator, cum sit par ratio. Nam ideo potest Deus, quia habet dominium in corpus humanum. Sed etiam Pontifex, & Imperator habet dominium in corpora quorumdam, quia potest illos

900 CAP. XLV. DE SACRAMENTIS
priuare vita, & omnibus bonis. Ergo sicut potest illis au-
ferre corpus sine illorum consensu, ita potest transferre
dominium corporis illorum per matrimonium. Respon-
deo, non est simile, quia Deus non solum habet in sua po-
testate corpora, & facultates hominum, sed etiam animas
& corda; ac proinde potest illorum, quos inuitos coge-
ret ad matrimonium, mutare animum, ut libenter sint in
matrimonio, & habeant mutuam charitatem, quæ ad finem
matrimonij necessaria est. Hoc autem non potest Pon-
tifex aut Imperator. Vnde si quem cogeret ad matrimo-
nium, faceret contra finem matrimonij, neque posset huic
incommodo efficaciter occurrere, quia non potest ani-
num mutare.

7 Secunda Obiectio. Respub. aut Princeps secularis po-
test inuitos ciues impellere ad alios contractus ineundos,
ut ad vendendum frumentum tempore necessitatis. Ergo
etiam ad contractum matrimoniale. Est enim par ratio.
Nam etiam alij contractus ex sua natura requirunt mu-
tuum consensum non minus quam matrimonium. Resp.
si propriè loquamur, nullus potest fieri contractus inter
duas personas sine mutuo harum consensu. Contractus
enim nil aliud est, quam utriusque contrahentis in ali-
quam rem consensus. Vnde, quando Princeps cogit ali-
quem ad contrahendum, non est contractus ex parte eius
qui cogitur, nisi hic consentiat: potest tamen esse contra-
ctus ex parte Principis, qui aliquando ius habet in bona
subditorum, ut possit ea legitimè distrahere, etiam ipsis in-
uitis. Hoc tamen non habet locum in matrimonio, quia
repugnat ipsius fini. Finis enim illius est, ut coniuges in
mutuis obsequiis, & charitate procreent & instituant pro-
lem, quod inuiti facere nequeunt. Finis autem aliorum
contractuum non est eiusmodi.

8 Tertia Obiectio. Vrgente necessitate potest aliquem
Pontifex cogere ad Episcopatum, in quo fit matrimonium
spirituale inter Episcopum & Ecclesiam. Ergo potest etiam
cogere ad corporale ob similem necessitatem. Ita Ostien-
sis. Resp. non potest cogere ad Episcopatum nisi præcepto;
quod etiam in matrimonio facere potest.

9 Quarta Obiectio. Quando duo contraxeré sponsalia

per verba de futuro, si post secuta est copula, coguntur ab Ecclesia in matrimonio viuere; neque admittitur exceptio reclamantium, quod non consenserint. Ergo Ecclesia habet potestatem cogendi inuitos. Resp. in tali casu præsumit Ecclesia eos ad copulam accessisse affectu maritali, ac proinde fuisse verum consensum. Si tamen reuera non fuit consensus, Ecclesia non potest efficere, ut sit verum matrimonium.

10 Quinta Obiectio. Non minor libertas requiritur ad ingressum Religionis, quam ad matrimonium. Sed Ecclesia potest aliquem compellere ad professionem Religionis, si ultra annum gestauerit habitum professorum. Ergo potest etiam compellere ad matrimonium. Respondeo, in tali casu præsumit Ecclesia eum tacite consensisse in professionem eò ipso, quod gestauerit habitum, ut habetur c. i. de Regularibus in sexto.

QVÆSTIO II.

An consensus debeat esse liber & minime coactus?

1 Tria requiruntur ad consensum perfectè voluntarium & liberum. *Primo*, ut procedat ex deliberatione. *Secundo*, ut sine errore & ignorantia. *Tertio*, ut non sit extortus per metum. Duo priora requiruntur ex parte intellectus; tertium ex parte voluntatis.

2 Prima Conclusio: Consensus ad matrimonium requisitus debet procedere à deliberata ratione. Est communis. Probatur, quia si alij contractus non sunt validi, nisi procedant ex deliberato animo. Ergo nec contractus matrimonij. Ratio generalis est, quia ad contractum requiritur talis consensus, qui inducat mutuam obligationem. Sed nemo potest obligari, præsertim in re libera & graui, nisi deliberato animo consentiat.

Secunda Conclusio: Si consensus procedat ex errore vel ignorantia, non est validum matrimonium. Est communis. Probatur, quia error facit, ut res non cognoscatur, sed maneat incognita. Ergo consensus voluntatis, qui in illam rem fertur, non potest esse voluntarius; quia nihil est voluntaria, nisi sit cognitum.

Nota , quod quadruplex error possit contingere in matrimonio. *Primo* , error personæ , quoad substantiam , vt si putem , Petrum esse Ioannem. *Secondo* , error conditionis , quoad seruitutem , vt si foemina consentiat in seruum , quem putat liberum. *Tertio* , error qualitatis , vt si putet adolescentem esse nobilem , aut pulchrum , aut castum , qui talis non est. *Quarto* , error fortunæ , vt si diuitem putet , qui pauper est. *Primus & secundus* impedit legitimum consensum , non autem *tertius & quartus*. Ratio est , quia consensus matrimonialis directè fertur in personam liberam , quæ habet potestatem sui corporis , & eam potest alteri tradere ; non autem in qualitatem , aut fortunam personæ.

4 Tertia Conclusio : Si consensus sit iniuriosè extortus per metum cadentem in constantem virum , irritum est matrimonium. Ita D. Thom. q.47. art.3. Schol. in 4. d.29. Nauarr. c.22. n.50. & alij passim. Et habetur in iure Canonicō , cap. cùm locum , c. veniens , 2. de sponsalibus. Ratio D. Th. est , quia talis metus repugnat perpetuitati matrimonij. Potest enim peti restitutio in integrum.

5 Nota *primo* , duplēcētum esse metum , grauem ac leuem. Grauis est , qui cadit in constantem virum : Leuis est , qui non cadit. Censetur autem cadere in constantem virum , quando quis propter metum eligit minus malum ad euitandum maius ; vt si quis latroni promittat pecuniam , vt euadat mortem. Contrà verò non censetur cadere in constantem virum , quando quis ob mortem eligi maius malum ad euitandum minus.

6 Nota *secundo* , grauem metum (idem de leui) duplēcētum posse incuti. *Primo* , iustè , vt si cui Episcopus minetur excommunicationem , nisi ducat Mariam , cum qua contrāxit sponsalia. *Secondo* , iniustè , vt si quem velit aliquis interficeré , aut infamare , nisi consentiat in matrimonium. Prior non irritat matrimonium , sed posterior.

7 Nota *tertio* , quod metus iniuriosè incussus irritet matrimonium non prouenire ex defectu voluntarij , sed ratione iniuriosæ actionis. Nam is , qui per iniuriam extorquet consensum , tenetur illum restituere in priorem statum. Sicut enim iniuriosè retinens alterius pecuniam tenetur restituere ; sic etiam iniuriosè retinens alterius consensum.

Nota quarto: Hoc esse discrimen inter alios contractus & matrimonium, quod illi, qui ob metum iniuriosum inualidi essent; sint validi tamen si accedat iuramentum, non autem hoc. Ratio, quia alij contractus possunt facilè rescindi per Iudicem, & alia iuris remedia; & damnum illatum potest in integrum restituiri. Contractus autem matrimonij, si semel validus est, non potest rescindi, non ex natura rei, sed ex Ecclesia, quæ voluit hunc contractum esse validum in tali casu; licet alij contractus non sint validi.

8 Prima Obiectio: Consensus extortus per metum cadentem in constantem virum, nunquam potest dari in matrimonio. Patet, quia consensus extortus per metum est peccatum mortale in matrimonio. Nam, qui ita consensit, facit inualidum Sacramentum; ac proinde sacrilegus est. At vir constans non est, qui peccat & sacrilegium committit. Respondeo. Consensus ille non est peccatum. Nam is qui consentit, si sciat & cogitet suum consensum iure esse inualidum, non consentit tanquam Minister Sacramenti; neque cum illa intentione. Et sic non peccat. Si autem nesciat aut non cogitet, excusatur à peccato.

9 Secunda Obiectio: Matrimonium fit etiam inualidum ob metum reuerentialem erga parentem & Prælatos; qui tamen metus non cadit in constantem virum. Respond. ex solo metu reuerentiali non fit inualidum matrimonium, nisi cum eo coniunctus sit metus cadens in constantem virum, id est, metus alicuius grauis mali quod parens, aut Prælatus minatur.

QVÆSTIO III.

An consensus debeat esse absolutus, & non conditionatus?

1 Prima Conclusio: Si quis consentiat in matrimonium ^{fou} sub conditione de futuro, quæ honestè fieri potest, non est matrimonium de præsenti, sed tantum contractus sponsalium; vt si quis dicat: *Fgo duco te in uxorem, si recuperaueris illam domum.* Est communis. Probatur, quia non potest esse validum matrimonium de præsenti, nisi sit validus contractus de præsenti; nec contractus potest esse va-

lodus de præsenti, nisi sit mutua obligatio de præsenti. Sed quando apponitur conditio pendens ex futuro; tunc etiam obligatio pendet ex euentu futuræ conditionis.

Quæres : An impleta conditione de futuro statim incipiat esse validum matrimonium sine nouo consensu expresso contrahentium? Affirmat Panormit. c. de illis, de condit. appositis; & multi alij Canonistæ. Et Palud. in 4.d.29. q.2.art.5. Ratio est, quia alij contractus adueniente conditione valent sine nouo consensu. Ergo etiam matrimonium. Contrarium docent alij Theologi, & Conarruias. Ratio est, quia in valido matrimonio debet esse mutuus consensus obligans de præsenti, qui sit verum Sacramentum. Sed primus consensus sub conditione non erat talis. E. nisi sit nouus consensus non est verum matrimonium & Sacramentum. Idem dicendum est de aliis contractibus, qui aduenientè conditione non sunt validi, nisi repetantur. Hoc tamen interest, quod in aliis contractibus impleta conditione contrahentes cogi possint ad executionem, non autem in matrimonio.

3 Secunda Conclusio : Si quis consentiat in matrimonium sub conditione de futuro, quæ sit necessaria, præsumitur validum esse matrimonium de præsenti; neque expectanda est eiusmodi conditio, vt si quis dicat: *Ego duco te in uxorem, si cras sol orietur.* Est communis. Nam talis conditio habetur pro non adiecta. Cum enim necessariò euentura sit, & iam certò sit, vel existat in suis causis naturalibus, non est putandum personam prudentem velle suspendere consensum, donec impleatur conditio, quasi incertus esset eius euentus. In foro tamen conscientiæ, si quis animum habuisset expectandi euentum talis conditionis, non esset matrimonium de præsenti, vt notat Nauar. cap. 22. num. 67.

4 Tertia Conclusio : Si quis consentiat in matrimonium sub conditione de futuro, quæ impossibilis fit, præsumitur validum esse matrimonium; vt si quis dicat: *Ego duco te, si cælum digito contigeris.* Est communis. Nam etiam talis conditio habetur pro non adiecta, vt expresse habet Gregorius Nomus c. si conditiones, de conditionibus appositis.

5 Quarta Conclusio : Si quis consentiat in matrimonium sub

sub conditione de futuro, quæ turpis, præsumitur etiam validum matrimonium, vt si quis dicat: *Ego duco te si parentem tuum interficeris.* Est communis. Nam turpis conditio habetur pro non adiecta, vt patet ex eodem loco citato pro Gregorio.

6 **Quinta Conclusio:** Si quis consentiat in matrimonium sub conditione de futuro, quæ sit contra substantiam obligationis matrimonij, nec est validum matrimonium, nec contractus sponsalium, vt si quis dicat: *Ego duco te, si proli generationem maleficio impediens vel, si adulterio victimum pro familia paraveris.* Est communis sententia, & habetur *canc. cit.*

Nota tamen duplices esse conditiones, quæ aliquo modo repugnant matrimonio: quædam sunt turpes, de quibus in conclusione; quæ sine dubio irritant matrimonium, vt omnes fatentur: quædam sunt honestæ, vt si quis dicat: *Ego contraho tecum si post coniugium emiseris votum castitatis.* De his dubitatur, an irritent matrimonium, necne?

Respondeo. Si quis per viam aut modum conditionis dicat: *Ego contraho tecum, si votum castitatis emiseris,* non est matrimonium de præsenti, quia pendet à futura conditione. Si autem per viam modi dicat: *Ego contraho tecum, vt castitatem serues;* potest esse validum matrimonium, si alter consentiat, & uterque (in actu primo) corporis sui potestatem tradat.

7 **Sexta Conclusio:** Si quis consentiat in matrimonium sub conditione de præsenti, vel præterito, validum est matrimonium stante conditione. Est communis, quia nihil in tali casu desideratur ad verum matrimonium, cum conditio utroque sit expleta.

Q V A E S T I O I V .

An consensus debeat esse expressus & manifestus?

1 **P**rima Conclusio: Consensus ad matrimonium requiritur debet exprimi signo aliquo exteriore, sive per verba; sive per literas, sive per internuncium, &c. Est communis. Nam, nisi consensus utriusque parti constet, non nascetur utrinque obligatio. Et sic non erit vere contractus humanus.

3 Secunda Conclusio: Vbi promulgatum est decretum Trident. de Matrimonii clandestinis, requiritur etiam praesentia parochi, aut alterius sacerdotis, de illius, vel ordinarij licentia, & aliorum duorum vel trium testium, adeo, vt si illi non adsint, non sufficiat expressus consensus contrahentium. *eff. 24. c. 1.* Vnde sequitur, quod, vbi decretum illud promulgatum est, si contrahatur Matrimonium per nuncium aut literas, necesse sit, vt etiam parochus & testes adhibeantur, qui testari possint de consensu utrinque praestito per literas aut internuncium. Porro antequam Matrimonium contrahatur coram Parocho & testibus, debent in Ecclesia fieri denunciationes, quae tamen iudicio Episcopi omitti possunt pro ratione circumstantiarum, vt idem Concilium declarauit.

3 Tertia Conclusio: In iis etiam locis, vbi decretum illud promulgatum non est, requiruntur duo vel tres testes, non quidem, vt Matrimonium sit validum, sed vt sine peccato contrahatur. Ratio, quia etiam ante Tridentinum prohibita fuere ab Ecclesia clandestina Matrimonia, vt patet *ex cap. aliter. 30. quest. 5.* Est tamen discrimen, quia clandestina ante Tridentinum, tametsi prohibita essent, erant tamen valida si contraherentur, nunc autem & prohibita & inuidia sunt.

Q V A E S T I O V .

Quodnam sit obiectum huius consensus?

1 Prima Conclusio: Consensus ad Matrimonium requiritus directe fertur in materialem coniunctionem animorum per mutuam traditionem potestatis corporum ad finem Matrimonij saltem confuso cogitatum. Scholast. *in 4. distinct. 28.* Et D. Thom. q. 48. a. 1. Ratio est, quia consensus debet ferri in ipsam essentiam Matrimonij. Sed hoc consistit in coniunctione animorum, ut supra dixi. Confirm. quia, quando apponitur conditio contra substantiam & essentiam Matrimonij, non est validum matrimonium, vt patet *ex preced. quest.* Hoc autem ideo est, quia non datur consensus in substantiam Matrimonij.

2 Secun

2 Secunda Conclusio. Consensus non necessariò fertur directè in copulam carnalem. Ita citati authores. Nam copula non est de essentia Matrimonij. Potest enim veritas matrimonij constare etiam si copula nunquam sequatur.

Quæres: an saltem necesse sit, ut consensus indirecte & implicitè feratur in copulam? Plerique affirman^t, quia, qui directe & explicitè consentit in essentiam matrimonij, censetur indirecte & implicitè consentire in usum, seu operationem illius. Sed contra est. Primo, quia Beata Virgo contraxit verum matrimonium, & tamen nullo modo consentit in copulam. Secundo, quia si quis contrahat matrimonium, & simul intendat ingredi religionem ante consummationem, validum est matrimonium, ut patet ex *c. commissum de sponsalibus*. At in tali casu nullus est consensus in copulam. Et hæc sunt bona argumenta apud nos Catholicos. Respondeo autem, quod duplum intelligi potest consensum implicitè ferri in copulam. Primo, ex parte contractus. Secundo, ex parte contrahentis. Priore modo necessarius est consensus saltem implicitus in copulam, quia contractus matrimonij ex natura sua ordinatur ad copulam. Ergo consensus, qui directe & expressè fertur in contractum, simul indirecte & implicitè fertur in copulam. At posteriore modo non est necesse ut consensus implicitè feratur in copulam, ut recte probant argumenta allata.

Q V A E S T I O VI.

An consensus Parentum sit necessarius?

1 **M**ulti Lutherani & Caluinistæ docent matrimonia filiorum, seu filiarum sine consensu parentum non esse firma & rata, sed posse à parentibus irritari.

2 Conclusio Unica. Tametsi consensus possit aliquando esse necessarius, ut filii contrahant matrimonium sine parente, non tamen est necessarius ad valorem matrimonij. Vnde, licet filii contrahentes matrimonium possint peccare contrahendo inuitis parentibus, tamen contractus est validus; & à parentibus, vel Magistratu rescindi non potest.

test. Est communis sententia Catholicorum , & habetur in
c. cùm virum, de Regularibus. Et ratio est, quia , tametsi pa-
ter habeat ius dirigendi filium in suis actionibus , & filius
teneatur illi obedire in rebus licitis & honestis: tamen na-
turalis facultas generandi , quæ in filio est , non est pa-
tris , sed solius filij. Ergo filius potest validè de illa dispo-
nere. Confirmatur ex scriptura , quia aliqui contraxerunt
matrimonium inuitis parentibus , vt Esau : aliqui insciis
parentibus, vt Tobias iunior ; & tamen erant valida matri-
monia.


3 Prima Obiectio Kemnitij: matrimonium debet esse talis
coniunctio, vt eius author & cōciliator haberi possit Deus.
Matth. 19. v. 6. Quod Deus coniunxit, homo non separat. At eius-
modi non sunt matrimonia quæ insciis , vel inuitis paren-
tibus contrahuntur , quia Deus vult, vt filij suis parentibus
obediant. Ergo talia matrimonia sunt contra diuinum præ-
ceptum. Ergo eorum author non potest esse Deus. Respon-
deo : Dupliciter intelligi potest Deum esse authorem con-
iunctionis matrimonialis. *Primo*, ex parte ipsius matrimo-
nij, quia scilicet ipse instituit coniunctionem matrimonia-
lem. *Secundo*. ex parte cōtrahentium, quia ipse inspirat illis,
vt matrimonio coniungantur. *Priore* sensu Deus semper est
author matrimonij. *Posteriore* non semper , nec etiam ne-
cessere est ad valorem matrimonij.

4 Secunda Obiectio: *Exodi 22. & Deuteronomij 22.* statuit
Deus legem , vt matrimonia filiorum pendeant ex con-
sensu parentum, & ab illis irritari possint. Respondeo, talis
lex ibi non habetur. Solùm ibi imponitur poena ei qui
violauerit virginem , vt huius patri numeret certam pecu-
niā , & teneatur illam in vxorem accipere , si ipse & pa-
ter voluerit. Hinc tamen non sequitur , filiam non posse
validè contrahere inuito parente.

5 Tertia Obiectio. Parentes possunt irritare vota filia-
rum, *Numeri 30. versu 4.* Ergo multò magis possunt irri-
tare contraētum Matrimonij ab illis initum. Nam si pro-
missio Deo facta irritari potest , multò magis homini fa-
cta. Respondeo : Deus voluit promissionem sibi factam
per votum pendere ex consensu parentis , non autem pro-
missionem homini factam per Matrimonium. Imò Deus
alibi

alibi dicit: *Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhaerbit uxori sue.*

6 Quarta Obiectio: Apostolus i. Corinth. septimo, versic. 38. dicit: *qui Matrimonio iungit virginem suam, bene facit; & qui non iungit, melius facit.* Vbi satis significat parentes debere contrahere Matrimonia pro filiis & filiabus. Respondeo. Apostolus nec loquitur de valore Matrimonij, neque dicit præceptum esse, ut filii non contrahant sine consensu parentum. Cætera Kemnitij obiecta omittiimus, quæ satis his soluentur.



C A P V T X L V I .

De unitate Matrimonij.

1 **V**NITATI Matrimonij opponitur polygamia, seu pluralitas vxorum, quæ duplex est. *Vna*, quando quis successiuè habet plures vxores. *Secunda*, quando simul habet plures. De vtraque agendum.

Q V A E S T I O I .

An liceat habere plures uxores successiuè?

1 **M**ontanistæ & Nouatiani damnarunt olim secundas nuptias, vt patet ex Augustin. l. de hæref. capite vigesimo sexto. Et Theodor. lib. 3. de fabulis Hæreticorum.

2 Prima Conclusio: Secundæ nuptiæ sunt licitæ. Ita D. Thom. quæst. 63. articul. 1. Scholastici in 4. distinct. 42. Probatur primo, ex Scriptura. Romani. 7. versic. 3. Si mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro, i. Corinth. 7. versicul. 39. Si dormierit vir eius, cui vult nubat, tantum in Domino. 1. Timoth. 5. versicul. 4. volo iuniores viduas nubere. Secundo, Probatur ex Concil. Niceno, canone 8. vbi decernit Noua

Nosmatianos hæreticos non recipiendos ad Ecclesiam Catholicam, nisi prius polliceantur se communicaturos etiam cum iis, qui forte secundas nuptias experti sunt. Item ex Concil. Flor. quod expressè definit, non solum secundas & tertias, sed etiam quartas & ulteriores nuptias esse licitas. *Tertio*, ex iure Canoni super illa. &c. cùm secundum Apostolum, de secundis nuptiis; ubi definiuit Innocentius XIIII. & Urbanus IIII. non solum licitas esse secundas nuptias, sed etiam abrogatas esse leges ciuiles, quæ notant infamia fœminas nubentes intra annum viduitatis. *Quarto*, ex Patribus. S. Ambro. l. de viduis. S. Hier. ep. ad Geruntiam. S. Aug. lib. de bona viduitatis, qui probant secundas nuptias, tametsi continentiam illis præferant. *Quinto*, ratione ex D. Paulo desumpta, quia, qui liber ac solitus est, potest contrahere Matrimonium. Sed viduus & vidua sunt soluti ac liberi. Ergo possunt. Deinde quia Matrimonium institutum est in remedium concupiscentiæ. Sed sæpè concupiscentia vexat viudos & viduas. Ergo, &c.

3 Obiectio Kemnitij. In iure Canonico sunt tres Canones, qui videntur damnare secundas nuptias, ut patet ex Gratiano 31. q. cap. de his, &c. hac ratione, &c. quomodo. **Primus.** Canon sumptus est ex Concil. Neocæsariensi, quo prohibentur Presbyteri interesse celebritati secundarum nuptiarum, cum poenitentia iniungenda sit iis, qui sæpius nubunt. **Secundus** est Diui Chrysostomi dicentis secundas nuptias concedi quidem ab Apostolis ob incontinentiam hominum, sed reuera fornicationem esse. **Tertius** est Diui Hieronymi dicentis secundum matrimonium excusari posse ad vitandam fornicationem.

4 Ad primum Respondeo. Presbyteros arceri à secundis nuptiis, non quod sint illicitæ, sed quia carent honestate quæ est in primis nuptiis. Ita D. Thomas q. 63. art. 1. ad 3. Est enim signum incontinentiæ transfire ad secundas aut tertias nuptias. Et ideo parum est honorificum. Vnde etiam factum est, ut illis, qui sæpius matrimonia contraherent, iniungretur ieiunium ad domandam carnem & concupiscentiam, ut notat Ledesma in loc. cit. & D. Thomas. Alij putant ideo fuisse illis poenitentiam iniunctam, quod vellent in secundis nuptiis eam celebritatem adhiberi, quæ solum

in primis de more Ecclesiæ adhibenda est. Bellarm. c. 9. Addi potest Concil. illud, ex quo canon sumptus est, fuisse particulare, qui successit Nicenum primum generale, in quo secundæ nuptiæ apertè approbantur.

Ad Secundum Respondeo. Canonem illum sumi ex auctore operis imperfecti super S. Matthæum, qui putatur quidem Chrysostomus, sed reuera non est, quia habet multis errores pugnantes cum fide Catholica.

Vnde eius authoritatem in proposito non admittimus, præsertim cum verus Chrysostomus homil. 20. ad Epheſ. dicat secundas nuptias non posse damnari.

Ad tertium Respond. D. Hieronymum in lib. contra Iouianum, ex quo sumptus est canon, voluisse commendare Virginitatem & continentiam, & ideo minus honorificè locutum esse de secundis & tertiiis nuptiis; quia communiter sunt signum alicuius incontinentiæ. Quod autem ipse non damnarit secundas nuptias, patet ex eius apologia ad Pamphilach. pro liberis contra Iouin. vbi sic ait: *Non damno bigamos, immò nec trigamos, & si dici potest oīlogamos, & in commentario super cap. 1. ad Titum,* dicit librum Tertulliani de Monogamia, vbi secundæ nuptiæ damnantur, esse hæreticum. Vide eundem in epist. ad Geruntiam.

5 Secunda Conclusio. Secundæ nuptiæ, seu secundum matrimonium est etiam sacramentum Ita D. Thom. q̄stic. 2. Et probatur, quia in eo reperiuntur omnia quæ necessaria sunt ad rationem sacramenti, nempe materia, forma & minister cum debita intentione Hoc discrimen est, quod primæ nuptiæ benedicuntur in Ecclesia à Sacerdote, non autem secundæ vel terciæ; vt patet ex Concilio Neocæsar. canone 7. & ex sancto Aug. serm. 243. de tempore. Et ex Decretalibus, cap. Capellatum, cap. vir autem, de secundis nuptiis. Ratio est, quia benedictio in priuis nuptiis data non perit. Neque debent iterum benedici semel benedicti, vt habet Urbanus Tertius capite citato, vir autem. Vbi nota ex Diuo Thoma quæstione sexagesima tertia, articulo secundo ad secundum, tunc secundas nuptias non benedici, quando sunt secundæ ex parte conjugis utriusque, vel ex parte mulieris tantum. Nam si virgo contrahat cum viro, qui habuit aliam uxorem, nuptiæ benedicuntur.

6 Obiectio Kemnitij: Catholici docent bigamos defec-
tu sacramenti, non posse ad sacros Ordines promoneri.
Ergo secundum matrimonium non est sacramentum apud
Catholicos. Antecedens patet ex Diuo Thom. *questione 63.*
art. 1. ad 4. vbi dicit bigamos esse irregulares non propter
culpam, sed propter defectum sacramenti. Confirmatur
primo, quia sacramentum matrimonij debet significare
coniunctionem vnius Christi cum una Ecclesia. Sed secun-
dum matrimonium non significat talem coniunctionem.
Ergo non est sacramentum. *Secundo*, quia in omni sacra-
mento adhibetur aliqua benedictio. Sed in secundis nu-
ptiis nulla adhibetur. Respondeo, D. Thom. *art. 2. ad 2. & 3.*
cum distinctione: Nam secundum matrimonium dupli-
citer spectari potest. *Primo*, absolute & in se. *Secundo*, in
ordine ad primum. Si ergo in se spectetur, est perfectum sa-
cramentum. Si autem in ordine ad primum Matrimonium,
iam caret aliqua perfectione sacramenti, quia non perfe-
ctè significat coniunctionem vnius Christi cum una tan-
tum Ecclesia. Et ob hunc defectum non benedicuntur se-
cundæ nuptiæ, nec bigami ad sacros Ordines admittun-
tur. Adde, hunc defectum non esse essentialē in ratione
sacramenti, quia ratio sacramenti est esse signum practi-
cum gratiæ sacramentalis; quod tamen tam bene conue-
nit secundo Matrimonio, quam primo. Esse autem signum
alicuius rei extrinsecæ sacramenti coniunctionis Christi
cum Ecclesia, non est de ratione, sed tantum perfectio
quædam accidentalis.

QVÆSTIO II.

An liceat habere plures vxores simul?

I Nter Christianos primus fuit Valentinianus Impe-
rator qui pluralitatem vxorum concessit, teste So-
crate *libr. 4. històr. cap. 27.* Cùm enim captus esset amore
cuiusdam Iustinæ, & eam vellet in vxorem ducere, reten-
ta priore uxore Seuera, ex qua Gratianum filium iam sus-
cepserat, legem promulgavit, ut liceret vnicuique duas si-
mul uxores habere, & hoc prætextu suam intemperan-
tiæ tegere conatus est. Hunc errorem reuocauit Luthe-
rus

tus propositione 65. & 66. de bigamia Episcoporum, & in cap. 16. Genesij, vbi docet liberum esse habere plures simul vxores.

2 Prima Conclusio. Pluralitas vxorum repugnat primæ institutioni matrimonij, quæ à Deo facta est in Paradiso. Ita Diuus Hieronymus, Chrysostomus, Beda, Theophylactus, & Anselmus, in cap. 19. Matthæi. Ambrosius in lib. de viduis, Augustinus l. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 9. Asserunt enim matrimonium initio institutum esse inter unum & unam, & excludere ~~τολυγαμιαν~~. Probatur primo, ex ipsa creatione hominis, quia, si Deus voluisse, matrimonium esse unius cum multis, creasset Adamo non unam tantum, sed multas fœminas, quas in vxores ducere potuisse. Cum ergo tantum unam creauerit, certum est voluisse, ut haberet unam tantum. Hinc Innocentius, cap. gaudemus, de diuortiis, dicit, unam tantum costam in unam fœminam fuisse conuersam, & non plures in plures. Secundo, probatur ex verbis Christi Matthæi 19. Marci 10. Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, &c. & erunt duo in carne una. Ex quibus colligitur unitas & firmitas matrimonij, ut notat Trident. sess. 24. in princip.

3 Secunda Conclusio. Pluralitas vxorum repugnat aliquo modo legi naturæ. Ita Innocentius cap. citato. D. Thom. quest. 65. art. 1. & alij Scholastici in 4. distinct. 33. contra Durandum & paucos alios. Probatur primo ex dictis, quia si polygamia conformis naturæ esset, sine dubio Deus illam initio instituisset, præsertim cum eo tempore esset maximè necessaria ad propagandum genus humanum, & naturalis origo tunc formaretur. At Deus non polyg. sed monogamiam instituit & confirmauit, quia non solum in principio mundi, sed etiam post diluvium, fuisse valde necessaria polygamia ad reparandos homines; & tamen co tempore nemo habuit plures vxores. Nam ante diluvium solus Lamech dicitur plures habuisse, & ideo reprehenditur à Sanctis Patribus, præsertim ab Hieronym. in epist. ad Geruntiam. Post diluvium nec Noë, nec filii eius habuerent plures uxores, ut patet ex illo i. Petri 3. versu 20. Octo

914 CAP. XLVI. DE SACRAMENTIS
animæ saluæ factæ sunt per aquam. id est, Noë, tres filij, & vxores eorum. Secundo, probatur, quia contra legem naturæ est, quod res vni tradita & ab illo legitimè possessa alteri tradatur. Sed maritus in matrimonio tradit potestatem sui corporis vxori. Ergo iure naturæ non potest illam alteri dare. Tertio, quia pluralitas vxorum, tametsi non repugnat primario fini matrimonij, tamen propter propagationi prolixi; repugnat tamen aliis finibus secundariis, qui potissimum duo sunt, unus est mutuum obsequium viri & foeminae, secundus est remedium concupiscentiæ. Vtrique repugnat pluralitas vxorum. Primo, quia nihil magis repugnat charitati & mutuo obsequio coniugum in domestica viuendi ratione, quam rixæ & contentiones. Sed si vni viro plures foeminae iungerentur, facile inter illas oriretur contentio & inuidia, maximè si alia minus quam alia à viro diligeretur. Evidet Sara non potuit ferre Agar, *Genesis* 21. & Rachel inuidiebat Lîx propter fœcunditatem, *Genesis* 30. Et Phenenna affligebat Annam, *i Regum* 1. Secundo, quia, qui plures haberet vxores, non posset semper omnibus satisfacere quoad concupiscentiam.

Dices: Si pluralitas vxorum repugnat legi naturæ. Ergo matrimonium inter vnum virum & plures vxores iure naturæ est irritum & nullum. Petrus Ledesma *q.65. art.1. dubio 1.* hoc concedit: cui faret Innocentius, *capite, gaudemus.* Solutio pendet ex sequenti conclusione.

¶ Tertia Conclusio. Pluralitas vxorum non repugnat legi naturæ, quoad eius primaria præcepta, sed solum quoad secundaria. Ita D. Thomas *art.2.*

Nota: duplia sunt præcepta legis naturæ: quædam sunt vniuersalia & communissima, quæ sunt veluti prima principia iuris naturæ, ut sunt præcepta Decalogi: quædam sunt secundaria, quæ ex illis primis tanquam conclusiones derviantur. Prima, præcepta ordinantur ad principalem finem qui à natura intenditur in quauis operatione. Secundaria verò ad secundarium.

Hinc facile probatur conclusio, quia tunc dicitur aliquid repugnare primis principiis legis naturæ, quando repugnat primo & principali fini qui à natura in aliqua operatione intenditur. Tunc autem dicitur repugnare secundariis

dariis principiis, quando repugnat secundario fini à natura intento. Sed pluralitas vxorum non repugnat principali fini matrimonij, sed solum secundario, ut dixi. Ergo, &c. Et iuxta hanc limitationem intelligatur præcedens conclusio, & rationes pro illa allatæ. Nam *prima* & *tertia* ratio probatur polygamiam non esse conformem omnibus naturæ principiis. *Secunda* ratio probat esse contra legem naturæ, si res, quæ vni data est possidenda ob certum finem, ita detur alteri ut ille finis impediatur. Vnde si vir daret vxori potestatem sui corporis in mutuum obsequium & remedium concupiscentiæ, non posset illam tradere alteri, quia tunc ille finis impediretur. Si autem daret ad procreationem prolis, posset pluribus dare, quia per hoc non impediatur procreatio prolis.

5 Quarta Conclusio. Pluralitas vxorum per singularem Dei dispositionem concessa fuit olim antiquis Patribus, verbi gratia, Abrahamo, Iacob, Dauid, & aliis, partim ante legem Mosaicam, partim post. Ita Innocentius, & D. Thom. locis cit. Et probatur, quia certum est, supra dictos viros habuisse multas vxores, quas proculdubio non accepissent, nisi fuisset cum illis dispensatum.

Dices: Deus non potest dispensare contra legem naturæ. Sed polygamia est contra legem naturæ. Respondeo, non potest dispensare contra primaria precepta legis naturæ, potest tamen contra secundaria, quando recta ratio id exigit. Hoc autem in proposito factum est. Volebat enim Deus antiquis temporibus, ut maior multiplicatio esset hominum fidelium, qui in cultu veri Dei educarentur. Itaque Sanctis concessit plures vxores, ut plures liberi in vera Dei religione gignerentur & educarentur. Et quia hic est principalis finis matrimonij, ideo magis est obseruandus in tali casu, quam secundarius, ut recte notat *loco citato* D. Thomas.

6 Quinta Conclusio. Hæc dispensatio circa pluralitatem vxorum non est facta per externam aliquam locutionem, aut scripturam, sed per peculiarem inspirationem Dei. Ita D. Thomas articul. 2. Probatur, quia talis requiritur dispensatio legis, qualis est ipsa lex. Sed lex prohibens pluralitatem vxorum non erat scripta in ullo libro, sed

916 C A P . X L V I . D E S A C R A M E N T I S
solum impressa mentibus. Ergo & dispensatio in tali libro non debuit scribi, sed per inspirationem Dei imprimi in animo.

Dices: hinc potius sequitur, quod non fuerit opus speciali inspiratione Dei, sed solo dictamine rectae rationis. Sicut enim lex prohibens polygamiam non est data per specialem inspirationem Dei, sed solum per instinctum rationis naturalis: ita etiam de dispensatione legis dicendum est. Respondeo, lex prohibens polygamiam duobus modis data est. *Primo*, per instinctum rectae rationis, quatenus est conformis rectae rationi. *Secundo*, per specialem inspirationem factam Adamo in Paradiſo, Deus enim inspirauit Adamo, quoniam esset natura matrimonij a se institutis, & quod deberet esse unius cum una.

7 Dices: quid necesse erat Deum hoc inspirare Adamo, cum recta ratio id satis dictaret? Respondeo hoc ideo factum, ut lex prohibens polygamiam haberet vim obligandi & cogendi, quam sine inspiratione non habuisset. *Nota*, quod lex illa pertineat ad secundaria precepta iuris naturae, ut supra dixi; secundaria autem precepta non habent vim coactiuam, nisi specialiter a Deo vel aliquo Principe sanciantur, sed solum obligant quatenus recta ratio docet ita esse faciendum, vel non faciendum. Deus ergo speciali inspiratione sanciuit legem monogamiae, & ideo in eius dispensatione opus fuit nova inspiratione speciali.

8 Sexta Conclusio. Dispensatio circa polygamiam indicata est a Deo primis aliquot Patribus: deinde eorum verbo aut exemplo ad alios peruenit. *Ita* D. Thomas art. 2. Et probatur, quia tempore Abrahæ, & deinceps erat omnibus notum, quod liceret habere plures uxores. Ergo signum est, quod tunc singulis non fuerit facta inspiratione Dei; sed quod iam antea facta esset aliquibus, a quibus posteri intellexerint. Antecedens patet, quia Sara induxit Abrahamum ad secundam uxorem ducendam, quod non fecisset, nisi sciuisse esset licitum. Similiter Laban obtulit Jacob duas filias, & rursum haec obtulerunt eidem duas uxores, neque ipse miratus est, aut dixit, non licere. Denique Moyses in Deuteronom. c. 21. v. 15. tanquam de re nota & passim

& passim licita loquitur, inquiens: *Si habuerit homo duas uxores, unam dilectam & alteram odiosam, &c.* Patet ergo hos omnes audiuisse à maioribus suis, quod liceret habere plures uxores. Vbi autem primum facta sit inspiratio à Deo, incertum est.

Aliqui putant soli Noe factam fuisse, & ipsum deinde alios docuisse.

9 Septima Conclusio. Hæc dispensatio secundum Scotum concessa est soli populo electo, id est, solis Hebreis, qui descendebant per lineam Isaac & Jacob, idque ad propagandam eam gentem, ex qua Messias erat nasciturus: At secundum alios deriuata est in omnes posteros Abrahami, non solum per Isaac & Jacob, sed etiam per Ismael & Esau descendentes. An autem aliis gentibus etiam concessa fit, dubium est. Bellarminus probabiliter affirmit, *Primo*, quia scriptura non reprehendit Gentiles, quod eo tempore plures uxores haberent. Ergo probabile est fuisse generalem permissionem. *Secundo*, quia Sanctus Augustinus 16. cinct. 38. & libro 22. contra Faustum, cap. 47. scribit in iis locis, vbi Jacob duxit quatuor uxores, fuisse morem ducendi plures uxores posteritatis causâ, & eum morem fuisse inculpabilem.

Locus autem in quo Jacob tunc erat, fuit Gentilium, non Hebreorum, quia Laban, cuius filias accepit Jacob uxores, erat idolatra. *Gen. 31.*

10 Octava Conclusio. Hæc dispensatio penitus sublata est à Christo, ita ut iam non Christianis solum, sed etiam aliis omnibus polygamia vetita sit. Ita Trident. sess. 24. c. 2. Et probatur *primo*, quia Christ. *Matt. 19.* reuocavit matrimonium ad primam institutionem, & eam voluit deinceps valere. At prima institutio excludit polygamiam. *Secundo*, quia Christus dicit eum mœchari, qui dimissa uxore aliam duxerit. *Matt. 19. Marci 10. & Luc. 16. capite.* Quod si mœchatur, qui aliam dicit viuente priore, ergo non potest habere duas uxores. *Tertio*, quia Matrimonium in noua lege est sacramentum Christi & Ecclesiae, ergo debet esse unius cum una.

Quæres: An Pontifex possit dispensare cum aliquo, ut habeat duas uxores simul? Respondeo, quod non potest,

918 CAP. XLVII. DE SACRAMENTIS
quia inferior non dispensat in lege superioris. At polygamy prohibita est lege Dei.

11 Nona Conclusio. Nullo modo licet, nec unquam licuit uni feminæ habere plures viros. Est communis sententia. Nam est contra legem naturæ, non solum quoad præcepta secundaria, sed etiam primaria, quia repugnat tam primario, quam secundario fini Matrimonij. Beilarminus cap. 10.

CAPVT XLVII.

De vinculo, firmitate, seu indissolubilitate Matrimonij.

1 VÆRITVR primo, an Matrimonium sit indissolubile secundum legem naturæ. Secundo, an potuerit solui in lege Mosaïca per libellum repudij. Tertio, an dissolui possit in lege Euangelica, siue inter Christianos contractum sit, siue inter infideles. Quarto, an Matrimonium ratum dissolui possit auctoritate Papæ.

QVÆSTIO I.

*An Matrimonium secundum legem naturæ
sit indissolubile?*

1 Prima Conclusio. Matrimonium ex prima sua institutione in paradyso facta est indissolubile. Ita D. Tho. quest. 67. art. 1. Et probatur ex Matthæi 19. vers. 6. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Vbi Christus reuocat Matrimonium ad primam institutionem, tollendo repudium & polygamiam, quæ aliquando concessa fuerant, ut patet ex Trident. sess. 24. ab initio. Et ex communi interpretatione Patrum. Confir. quia cum Pharisei obiicerent Christo, Moy-sen permisisse libellum repudij, respondit Christus: *Ad diu-
rictam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab
initio autem non fuit sic.*

2 Secunda Conclusio. Matrimonium secundum legem naturæ est indissolubile: Ita D. Thom. loco citato. Probar-
tur primo, quia Matrimonium secundum legem naturæ tale

est quale fuit à Deo institutum. Sed institutum fuit indissoluble, ut antea dixi. Ergo natura sua tale est. Confirm, quia communis est sententia Theologorum, Dèum in paradiſo nullum præceptum posituum dedisse Adamo, praeter vnum de non edendo fructu arboris. Cùm ergo dede-rit præceptum de indissolubilitate Matrimonij, illud non est posituum, sed naturale. Secundo probatur ratione D. Thomæ, quia Matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis, non solum ad breue tempus, sed per totam vitam prolis. Ergo Matrimonium ex intentione naturæ debet durare usque ad mortem. Tertio probatur, quia dissolutio Matrimonij magis repugnat ipsius naturæ, quam pluralitas vxorum, quia hæc non deſtruit Matrimonium ſicut illa. Sed pluralitas uxoru prohibita eſt in iure naturali. Ergo multo magis dissolutio Matrimonij Quarto, quia firmiter eſt vinculum viri & uxoris, quam filii & parentis, secundum hoc: *relinquet hominem patrem, &c. & adhaerebit uxori sue.* Sed vinculum inter filium & parentem eſt naturale & perpetuum. Ergo multo magis inter virum & uxorem. Quinto, quia Matrimonium defini-*tur maritalis coniunctio viri & mulieris individuali vitæ con-fuetudinem retinens.*

3 Prima Obiectio. Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur, ut eſt regula iuris. Sed vinculum Matrimonij nascitur ex mutuo contrahentium consensu. Ergo per eundem consensum dissolui potest. Respondeo, regula valet in iis, quæ ex natura sua dissolui poſſunt.

Dices. Omnes alij contractus, etiam iurati, poſſunt rescindi per consensum contrahentium, ergo & contractus Matrimonij. Respondeo, non eſt simile: quia alij contractus non ordinantur ex natura sua ad aliquem finem, qui requirat indissolubilitatem, & ideo ex natura sua dissolui poſſunt. Contractus autem Matrimonij ordinatur ad educationem prolis, quæ per totam vitam dura-re debet.

4 Secunda Obiectio. Constat vinculum Matrimonij fuſſe aliquando ſolutum, quia Abraham & Moyses diſmisericorditer ſuas uxores. Ergo ex natura ſua non eſt indiſ-

920 CAP. XLVII. DE SACRAMENTIS
solubile. Respondeo. Abraham iubente Deo repudiauit
vxorem suam Agar, quia Deus per hoc voluit significa-
re, se repudiaturum Synagogam. Itaque ratione huius
mysterij dispensatum est cum Abrahamo. Vnde Galatib.
4. Scribit D. Paulus, Abraham habuisse duas vxores,
& duos filios. Una Sara erat libera, quæ significabat Ec-
clesiam noui Testamenti: Altera Agar serua erat, quæ Sy-
nagogam significabat. Ut ergo constaret Deum repudia-
turum Synagogam, & indissolubili vinculo adhæsurum
Ecclesiæ, iussus est Abrahain repudiare Agar, & retinere
Saram.

Dices. Si Matrimonium natura sua dissolui non potest,
quomodo ergo dissoluitur authoritate Dei? Respond. Deus
potest dispensare in illis, quæ pertinent ad secundaria præ-
cepta legis naturæ, sicut est indissolubilitas Matrimonij, ut
docet D. Thom. art. 2.

QVÆSTIO II.

*An Matrimonium potuerit dissolui in lege Mosaica
per libellum repudij?*

1. Certeum est, permisum fuisse Iudeis vxores dimitte-
re. Deuteronom. 24. vers. 1. Sed quæstio est, quo sen-
su hoc permisum fuerit. An ita ut dimittendo non pecca-
rent: an verò ut peccarent quidem, sed lege non puniren-
tur. Secundo, quibus de causis id permisum fuerit. Tertio,
quæ ceremoniæ adhiberi solebant.

2. Prima Conclusio. Probabile est in veteri lege fuisse il-
licitum dimittere vxorem, sed tamen permisum, ut impu-
nè fieret ad maius malum evitandum. Hæc est communior
sententia Theologorum in 4. distinction. trigesima tertia. Et
iuxta hanc peccabant Iudei dimittendo suas vxores, &
vinculum Matrimonij non soluebatur: ac proinde, si acci-
perent nouas vxores, non erat nouum Matrimonium, sed
adulterium. Prob. primo, quia Deuteronom. 24. vers. 4. dici-
tur, *Mulierem repudiatam, si alteri nupserit, fieri pollutam &*
abominabillem coram Deo. Ergo signum est, non licuisse illi se-
cundò nubere: & connubium illud secundū non tam con-
nubium, quam adulterium fuisse. Similis locus est Ierem. 3.
vers.

vers. 1. Secundo, probatur, quia repudium fuit Iudeis propter duritiam cordis eorum permisum, *Matth. 19.* Ergo permisum fuit, ut minus malum ad maius euitandum, ne suas vxores occiderent. Præstat enim eas dimittere, quam interficere.

3. Secunda Conclusio. Probabilius est, permisum fuisse Iudeis dimittere uxores non solum impunè, sed etiam licetè, ita ut non peccarent dimittendo. Ita D. Thom. Scotus, Durandus & Paludan. *in 4. distinc. 33.* Et iuxta hanc sententiam, quando quis dato libello repudij dimittebat uxorem, verè dissoluebatur matrimon. & poterat aliam uxorem ducere.

Probatur *primo*, quia si vinculum matrimonij non fuisset solutum, permisso illa fuisset valde inæqualis, & fortassis iniqua. Viri enim poterant alias uxores ducere, cùm esset eo tempore licita pluralitas vxorum; fœminæ autem non potuerunt alios viros accipere, quia nunquam licuit vni fœminæ simul habere plures viros. Itaque vel debuissent adulteræ fieri, vel perpetuò continere. Non est autem credibile mulieres in veteri lege fuisse coactas seruare perpetuum coelibatum, qui eo tempore fuit plane inusitatius.

Secundo probatur, quia lex Mosaïca non puniebat nuptias repudiatarum cum aliis viris, ut patet *Deuter. 24.* Ergo tales nuptiæ non erant adulteria, sed vera matrimonia: Lex enim Mosaïca iubebat lapidari mulierem semel in adulterio deprehensam.

Tertio probatur, quia lex prohibebat, ne repudiata post mortem secundi mariti posset unquam recipi à priore viro. At si per repudium non soluebatur vinculum matrimonij, non erat prohibendum, sed potius optandum ut uxor rediret ad suum priorem maritum.

Quarto, quia *Leuit. 21. versu decimotertio.* Lege cautum est, ut Sacerdos non ducat uxorem viduam, aut repudiatam, aut meretricem, sed virginem tantum. Ex qua lege videtur colligi licuisse aliis ducere repudiatam, quemadmodum licebat ducere viduam aut meretricem. *Quinto*, quia sicut Deus dispensauit cum Abraham, ut repudias Agar; ita potuit dispensare cum Iudeis, ut legitima de-

925 CAP. XLVII. DE SACRAMENTIS
causa repudiarent suas vxores. *Sexto*, quia *Exod.* 21. v. 4.
Lex est, ut si seruo Dominus dederit vxorem, & ea pe-
pererit filios, anno septimo seruus egrediatur liber; vxor
autem, & filii maneant sub potestate Domini. Hac lege
priuabatur vir ille vxore & filiis. Ergo signum est fuisse
tunc vinculum dissolutum; alioqui vxor debuisset in per-
petuo coelibatu manere.

4 Ad *primum* contrarium argumentum Respondeo, mu-
lierem repudiatam ideo vocari pollutam, & abominabilem
coram Deo, quia maritus notauit eam publica infamia,
hoc ipso quod eam publice a se dimisit: ac proinde non
esse æquum, ut illam iterum recipiat.

Ad locum Ieremiæ dico, Deum ibi argumentari ita: Si
vir non recipit repudiatam, quando ea nupsit alteri viro,
multò minus ego te Ierusalem deberem recipere, quæ
non nupsisti alteri, sed cum pluribus amatoribus forni-
cata es.

Ad *secundum* Respondeo, Deum potuisse hoc permit-
tere Iudæis propter duritiam cordis eorum, ita tamen ut
peccatum esse defineret.

5 Tertia Conclusio. Incertum est, quibus de causis in ve-
teri Testamento licuerit vxorem dimittere. Ioseph, *lib.* 4.
cap. 8. scribit licuisse quacumque de causa. Tertull. *lib.* 4.
contra Marcionem, putat non licuisse nisi ob adulterium. Sic
enim interpretatur illud *Deuteronom.* 24. *vers.* 1. *Si accep-*
rit homo uxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam
(*vxor*) *ante oculos eius propter aliquam fœditatem*, id est,
adulterium. At Origenes, Chrysostom. & alij in *cap.* 19.
Matthæi, hoc merito refellunt. *Primo*, quia Pharisei inter-
rogabant Christum, an quacumque ex causa liceret vxo-
rem dimittere? Ergo supponebant multis de causis lice-
re, alioqui nimis impudenter interrogassent si ob solum
adulterium licuisse. *Secundo*, quia si adulterium vxoris
fuisse manifestum, debebat secundum legem lapidari.
Leuit. 20. v. 10. Et *Ivan.* c. 8. *vers.* 5. Si autem fuisse adulterium
præsumptum, quod probari a marito non posset, de-
bebant secundum legem Zelotypiæ explorare per epota-
tionem aquæ amaræ, *Num.* 5. v. 5. Nicolaus Lyranus in *com-*
ment. super 24. Deuteronom. recitat duas opiniones. *Prima*,
licuisse

licuisse dimittere vxorem propter omnem rem turpem, vt ob morbum contagiosum, vel aliquod simile, quod matrimonij coniunctionem præcessisset. *Secunda*, licuisse etiam ob omnes causas matrimonio contrarias, etiamsi matrimonio superuenienter, vt si mulier venetica esset, aut liberorum intersecretrix.

6 Prima Conclusio. Ceremoniæ & cautions quibus libellus repudij dari solebat, ab Hebræis recitantur decem. *Prima*, vt vxor nusquam discederet, nisi volente marito. *Secunda*, vt libellus repudij in manu eius traderetur. *Tertia*, vt scriberentur vt minimum nomina duorum testimoni. *Quarta*, vt exprimerentur tres generationes viri, & tres mulieris, vt post ex formula patebit. *Quinta*, vt scriberetur libellus literis rotundis, distinctis & perspicuis, ita vt una aliam non attingeret, ne aliquod scripturæ vitium irreperret. *Sexta*, vt si inter scribendum aliqua guttula atramenti in chartam decideret, libellus autoritatem non haberet, aliisque denuò scriberetur. *Septima*, vt in libello nullum rasuræ vestigium appareret, ne suspectus esset vitij. *Ottava*, vt charta longior esset quam latior. *Nona*, vt omnes testes qui aderant, suum quisque sigillum adhiberent. *Decima*, vt maritus diceret: *Accipe libellum repudij, & esto à me abiecta, & cuicunque viro permissa.*

7 Quinta Conclusio. Forma libelli repudij erat hæc. *Ego Rabbi N. filius R.N. filij R.N. filij R.N. die prima mensis secundi Anni N. à creatione Mundi, in tali loco, ex animi mei consensu, & sine ulla coactione repudiaui filiam Rabbi N. filij R. N. filij R. N. & dedi illi libellum repudij in manu scedam abscissionis, & signaculum diuisionis, ut sit à me abiecta, & abeat quocumque velit, & nemo possit illi prohibere iuxta constitutiones Moysi & Israël.*

QVÆSTIO III.

*An Matrimonium dissolui possit ob aliquam causam
in lege Euangelica?*

1 O Pinio prima est, posse dissolui ob adulterium alterius coniugis. Ita hodie sentiunt omnes Græci, qui re ipsa matrimonio dissoluunt, & coniugibus alia matrimonio incundi

ineundi potestatem faciunt in causa adulterij. Ex Latinis Luther. Caluin. & Anabapt. idem docent. Ex Catholicis eodem errore tenentur Erasm. in c. prioris epist. ad Cor. Cajetan. in c. 19. Matth. & Ambt. Cathar. Dominic. lib. 5. annotationum in comment. Cajetani. Hoc tamen interest, quod hi suam sententiam subiificant iudicio Ecclesiae, reliqui non item. **Secundo**, quod reliqui non solum ob adulterium, sed etiam alias causas putent dissolui posse matrimonium, v. g. ob diuturnam absentiam alterius coniugis, aut ob molestam cohabitationem, & frequentes rixas.

2 Secunda Opinio est Catholicorum, matrimon. omnino esse indissoluble, exceptis duobus casibus certis, & uno casu adhuc dubio. Primus casus certus est, quando matrimonium fuit contractum inter infideles, & postea alter coniugum conuertitur ad fidem. **Secundus** est, quando matrimonium inter fideles est ratum, & non consummatum, & postea alter ingreditur Religionem. **Tertius** est dubius, an scilicet Pontifex aliquando possit dispensare in matrimonio ratio, non tamen consummato, de hoc tertio casu dicam in sequenti questione de illis certis hoc loco.

3 Prima Conclusio. Matrimonium contractum inter infideles dissolui potest quoad vinculum, si alter coniugum conuertatur ad fidem, & alter nolit alteri cohabitare sine iniuria Creatoris. Est communis etiam cum haereticis sententia, & habetur in c. Quanto, & cap. Gaudeamus, de diuortiis. Et colligitur ex 1. Corint. 7. vers. 15. Si infidelis discedit, discedat: Non enim seruituti est subiectus frater, aut soror in huiusmodi. Vnde colligunt interpretes posse fidelem iniire matrimonium cum alio, quia non est amplius obligatus, seu subiectus priori coniugi infideli. Idem dicendum est, si infidelis maneat quidem cum fideli, sed cum iniuria Creatoris, & spirituali damno conuersi coniugis; quia hoc est deterius, quam si discederet. **Duo tamen notes.** **Primum**, eiusmodi matrimonium non dissolui actu, donec fidelis coniunx cum alio matrimonio de facto contrahat, ut docet D. Thom. q. 50. art. 5. ad 3. Siluanus V. matrimon. 8. q. 10. &c alij. **Secundum**, quod, tametsi infidelis velit cohabitare cum fidelis sine iniuria Creatoris, possit tamen fidelis se ab eo separare quoad thorum & cohabitationem: non autem cum altero

altero matrimonium inire; vt habent iidem Authores *luc*
citato. Et colligitur ex D. Paulo, cùm ait: *Ego dico, non Do-*
minus, si quis frater uxorem habet infidelem, & haec consenit
habitare cum illo, non dimittat illam. Vbi satis insinuat, non
 esse præceptum Christi, sed suum consilium, vt fidelis non
 dimittat infidelem, si velit cum illo cohabitare. Ergo ad-
 huc liberum est fidelis dimittere illam, vel non dimittere.
 Ratio, quia fidelis per Baptismum regeneratur in nouam
 planè vitam, & moritur priori vitæ. Ergo non decet, vt
 maneat obligatus ad habitandum cum infideli. Cur autem
 S. Paulus suadeat, vt cohabitetur, rationem ipse hanc sub-
 iungit; quia fieri potest vt saluetur vir infidelis per mulie-
 rem fidelem, & è contrario.

4 Prima Obiectio. Matthæi 19. vers. 6. *Quod Deus con-*
iunxit, homo non separet. Ergo fidelis non potest separari ab
 infideli, quando matrimonium coniuncti sunt. Respon. illa
 separatio non fit ab homine, sed à Deo, vt patet ex verbis
 Apostoli.

5 Secunda Obiectio sumitur ex vers. 9. *Qui dimiserit uxo-*
rem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.
 Ergo fidelis non potest dimittere vxorem ob solam infide-
 litatem. Respond. Christus loquitur de matrimonio con-
 tracto inter fideles, ibi enim non potest alter alterum
 quoad ihorum dimittere, nisi ob fornicationem. At quando
 matrimonium contractum est inter infideles, tunc alter
 potest alterum dimittere ob infidelitatem secundum D.
 Paulum.

Dices. Vnde constat Christum loqui tantum de matri-
 monio fidelium? Resp. ex Diuo Paulo; quia cùm dixisset:
Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere,
 subiungit: *Cæteris autem ego dico, non Dominus: Si quis ha-*
bet uxorem infidelem; vbi per cæteros intelligit eos, qui ma-
 trimonium ante fidem contraxerunt, de quibus Christus
 nihil præceperat. His ergo Paulus dat consilium, vt vir non
 dimittat uxorem infidelem, si ea velit cohabitare sine iniu-
 ria Creatoris.

6 Tertia Obiectio. Propter hæresim non soluitur vincu-
 lum matrimonij, & tamen hæresis est quedam species
 infidelitatis. Ergo non semper potest solui ob infidi-
 latem.

926 CAP. XLVII. DE SACRAMENTIS
etatem. Resp. magnum est discrimen inter haeresim, & infidelitatem propriè dictam. Nam matrimonia contracta in infidelitate, non sunt Sacra menta, & ideo facilius possunt dissolui. At contracta post Baptismum matrimonia sunt Sacra menta, & ideo minùs dissolui possunt. Vnde non est mirum, si non soluatur matrimonium Christianorum, quando alter conuertitur ab haeresi, & alter non conueretur, quia matrimonium illud est Sacra mentum.

7 Secunda Conclusio. Matrimonium Christianorum ratum & nondum consummatum dissoluitur quoad vinculum per ingressum alterius coniugis in religionem. Ita Concil. Trident. sess. 24. can. 6. Et in iure canon. c. ex publico, c. ex parte tua, de conversione coniugatorum. Et ratio est, quia regula ratio dictat, semper esse licitum transire de statu minus perfecto ad perfectiore, si id possit fieri sine vlliis detimento. At status coniugij est imperfectior statu Religiosis. Ergo potest quis ab uno ad alium transire, si fiat sine vlliis detimento, quod fit, quando matrimonium est ratum, & non consummatum, quia tunc nulla est proles, & vxor potest alteri nubere, si velit, & æquè bene atque ante, cum adhuc sit virgo, & nihil infamiae incurrat ex tali repudio, ut notum est.

Dices: fit illi iniuria, quia inuita spoliatur re sua. Respond. tenetur consentire marito volenti inire perfectiores nuptias, cum id facere possit sine suo incommodo.

Dices secundo. Ergo non solum per Religionem, sed etiam per susceptionem sacrorum Ordinum, & maximè per Episcopalem dignitatem dissolui poterit matrimonium ratum, quia illi duo status sunt etiam perfectiores statu coniugali. Respond. non est par ratio, quia matrimonium ex natura rei, & per se repugnat Religiosæ professioni, & ideo per talem professionem necessario dissoluitur matrimonium, quia non possunt simul consistere. At non repugnat sacris Ordinibus per se, & ex natura rei, sed solum ex decreto Ecclesiæ, & ideo ex natura rei possunt simul consistere. Accedit quod per professionem monasticam homo ciuiliter, & spiritualiter moriatur huic mundo, quod non fit per sacros Ordines, vel per Episcopalem dignitatem.

8 Tertia Conclusio. Matrimonium Christianorum consummatum, est omnino indissolubile, ita ut neque ob adulterium alterius coniugis, neque ob heresim, aut molestam cohabitationem, vel similem causam dissolui possit, ac proinde viuente priore coniuge nunquam licitum est ad alias nuptias aspirare. Ita Concil. Trid. sess. 24. can. 5. & 7. Et probatur primo ex Scripturis, quia Marci 10. vers. 11. est: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Luc. 16. vers. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mæchatur, & qui dimissam à viro dicit, mæchatur.* Rom. 7. vers. 2. *Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi.* Et infra: *Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* 1. Cor. 7. v. 10. *Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere.* *Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Secundo probatur ex Patribus apud Bellarm. cap. 16.

Tertio probatur ratione, quia matrimonium Christianorum est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Ephes. 5. v. 32. Sed illa coniunctio est indissolubilis. Ergo & matrimonium Christianorum est indissolubile.

9 Prima Obiectio. Matth. 19. vers. 9. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur.* Ergo saltem licet vxorem dimittere ob fornicationem. Respond. in repudio, seu perfecta dimissione quoad vinculum sunt duo spectanda, nempe dimissio unius, & potestas ducendi aliam. Christus ergo distinguit hæc duo, & alterum, scilicet dimissionem in causa fornicationis concedit; alterum vero omnino sustulit. Sensus ergo est, quod in uno casu liceat quidem dimittere uxorem quoad thorum & cohabitationem, scilicet ob fornicationem. Sed in nullo casu liceat aliam ducere, priore coniuge viuente.

10 Secunda Obiectio. Matrimonium ratum potest dissolui ut dixi. Ergo & consummatum, sequela patet; quia non essentialiter, sed tantum accidentaliter differunt. Ergo si unum dirimi potest, & alterum. Confirm. primo, quia loca Scripturæ allata pro consummato possunt æquè intelligi de rato. Secundo, quia utrumque est signum coniunctionis

junctionis Christi cum Ecclesia. Ergo ex hac parte non est vnum magis indissoluble quam alterum. Respond. *primo*, ex communi sententia Theologorum apud Dom. Sotum in 4. di^r. 27. quæ^r. 1. art. 4. quod tam indissoluble fit matrimonium ratum, quam consummatum, ut bene probant argumenta. Vnde etiam optimè sequitur neutrum dissolui posse ab homine; quamuis vtrumque dissolui possit à Deo. Deus autem voluit matrimonium ratum dissolui per ingressum Religionis, non autem consummatum. Quod si Deus vtrumque voluisse dissolui, vtrumque dissolueretur.

Dices. Vnde constat, quod ratum tantum voluerit dissolui? Resp. ex Ecclesiæ declaratione. Hæc solutio bona est. Aliter tamen respondent Canonistæ, nempe consummatum non esse solubile nisi à Deo, ratum esse solubile auctoritate Pontificis, de qua *in seq. quæ^r. agemus.*

11 Tertia Obiectio. Concilium Neocæsariense *can. 7.* injungit pœnitentiam contrahentium secundas nuptias post diuortium; non tamen illas dirimit. Ergo signum est tale matrimonium esse firmum, & consequenter prius esse dissolutum. Ita Kemnitius. Respond. Concilium loquitur de secundis nuptiis quæ contrahuntur mortua priori uxore, quæ licet quidem sunt, sed tamen olim notabantur aliqua pœnitentia, ob signum incontinentiæ, ut patet ex Concil. Laodicæo *can. 7.*

12 Quarta Obiectio. Concil. Mileuitan. *can. 17.* prohibet quidem, ne post diuortium ineatur aliud matrimonium; sed tamen simul addit petendum esse ab Imperatore, ut de hac re legem promulget. Vnde colligit Kemnitius eo tempore non fuisse apud Christianos legem, quæ dirimeret matrimonia post diuortium contracta. Respond. Canones Concil. Mileuitan. potissimum compositi, & editi sunt à S. Augustino, cùm autem S. Augustinus integris libris disputauerit in nullo casu, ne fornicationis quidem, licitum esse viuente coniuge transire ad aliud matrimonium, facilè apparet sensus citati canonis. Si enim ab Augustino scriptus est, non pugnat cum doctrina Augustini. Quod autem Patres illius Concilij desiderarent legem Imperatoris, non ideo factum est, ut illa lege declararetur

raretur illicitum esse matrimonium post diuortium, vtroque adhuc viuente coniuge; cùm hoc satis declaratum esset in Euangelio, & in Epistola D. Pauli: sed vt illa lege seuerè punirentur à sacerdotali Magistratu, qui crimen illud admitterent.

13 Quinta Obiectio. In decreto Gratiani 32. q. 7. sunt quatuor canones quibus conceditur aliud matrimonium post diuortium, vt patet cap. *quod proposuiti. c. quædam. c. concubuisti. c. si quis.* Resp. *Primus* canon sumptus est ex Epistola Gregorij I I I. ad S. Bonifacium, vbi legimus Gregorium concessisse cuidam viro secundum matrimonium ob ægritudinem prioris coniugis. Sed canonem hunc intelligunt Doctores de ægritudine reddente mulierem ineptam ad coniugium, ac proinde dirimens impedimentum matrimonij. *Secundus* canon sumptus est ex quodam Concilio anonymo. In eo decernitur vt mulier adultera, quæ cum fratre viri sui peccauerat, non ineat nouum matrimonium; vir autem innocens possit inire matrimonium. At hic canon exponitur à Doctoribus de matrimonio ineundo post mortem prioris coniugis, vt paret ex simili canone *in eadem quest. & incipit: Hi vero*, vbi statuitur, vt coniuge adultera mortua vir eius ducat quam voluerit: mulier verò adultera ne marito quidem mortuo possit alteri nubere. Quod tamen intelligitur de adultera, quæ cum alio suo propinquo peccarit, & ideo simul incestuosa fit. Nam aliquin simplex adulterium non impedit matrimonium post mortem coniugis. *Tertius* canon est Zachariæ Pontificis, vbi scribitur eum, qui cum sorore vxoris suæ peccauit, neutram habere posse; vxorem tamen ipsius posse nubere cui voluerit. Sed hic canon intelligitur de coniugio, quod innocentì parti conceditur post mortem prioris coniugis. *Quartus* est Concilij Triburiensis, qui eodem modo debet intelligi.

Q V A E S T I O I V .

An matrimonium ratum dissolui possit auctoritate Papæ?

1 **O**mnes Catholici consentiunt, matrimonium consummatum non posse dissolui per dispensationem N a n Ponti

o Gene 2 Prima Conclusio. Probabile est , matrimonium ratum
dissolui posse per dispensationem Pontificis (in quocun-
que casu:) Ita communiter omnes Canonistar & ex Theo-
logis Antoninus , Cajet. Catharin. Medina. Sylvest & Na-
uuar apud Valentiam , q. 1. p. 7. Fundamentum est, quia ma-
trimonium ratum potest solui per ingressum alterius con-
iugis in Religionem , idque ex solo statuto Ecclesie , non
Christi authoritate. Vnde inferunt Canonistar , si Pontifex
mortuus facto statuto soluit matrimonium ratum. Ergo
idem potest facere Pontifex viuus suo mandato , vel di-
spensatione. *secundo*, quia Pontifex potest dispensare cum
professo , ut ducat vxorem. Ergo etiam potest dispensare
in matrimonio rato. Sequela patet , quia maius est vin-
culum professionis , quam matrimonij rati , cum vincu-
lum matrimonij rati soluatur per professionem. Si ergo
Pontifex potest dispensare in majori vinculo , potest etiam
in minore. *Tertio* , fortiter probatur ; quia de facto sèpè
dispensatum est à Pontifice. Nauarrus enim c. 22. n. 21.
affirmat ad sui instantiam apud Pontifices Paulum III.
& Pium IV. cum quibusdam personis in ea re fuisse di-
spensatum. Similiter Antonin. 3. p. 1. l. 21. §. 3. affirmat se
vidisse tales aliquas dispensationes factas à Martino V. &
Eugenio IV.

3 Secunda Conclusio. Probabile quoque est , matrimo-
nium ratum non posse dissolui auctoritate Pontificis. Ita
passim omnes Theologi. Probatur *primo* , ex Matth. 19.
v. 6. *Quod Deus coniunxit, homo non separabit.* At Pontifex est
homo. *secundo* , quia matrimonium ratum non differt es-
sentialiter à consummato , sed hoc non potest dissolui à
Pontifice. Ergo nec illud. *Tertio* , quia utrumque est in-
dissolubile ratione sacramenti. At vnum non est minus
sacramentum quam alterum. Sententia Theologorum
speculatiue videtur probabilior. Altera tamen est tuta
in praxi.

CAPUT XLVIII.

DE BONIS MATRIMONII.

QUAIA matrimonium habet quandam speciem turpitudinis, ideo Theologi assignant tria bona quibus matrimonij turpitudo tegatur, & matrimonium cohonestetur. *Primo*, est bonum fidei, tum in cohabitatione, tum in reddendo debito. *Secundo*, bonum prolis. *Tertio*, est bonum sacramenti. Ita docet D. Augustinus lib.9. *Super Genesim ad litteram*, cap.7. & ex illo Theologi in quarto, dist.31. Et D. Thom. in supplemento, q.49. bonum sacramenti consistit in vinculo charitatis, & firmate, seu indissolubilitate, de qua actum est. Itaque de duobus reliquis superest agendum.

QUESTIO I.

De bono fidei & de diuortio.

1 *P*rima Conclusio. Tria spectant ad fidem coniugalem.
Primo, ut alter alteri reddat debitum, 1. Cor. 7. v.3. *Vxor vir debitum reddat, similiter & vxor viro.* *Secundo*, ut alter cum altero cohabitet, & simul familiam administrent, ita tamen ut mulier sit subdita viro, 1. Cor. 11. v.3. *Caput mulieris est vir.* Et 1. Tim. 2. v.12. *Docere mulierem non permitto, neque dominari in vinum.* *Tertio*, ut neuter viuente altero cum aliqua alia persona copuletur, hoc enim esset adulterium committere, Rom. 7. v.3. *Viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.*

2 Quæres: An hæc tria semper seruanda? Resp. duo priora non semper seruantur, ut patet in diuortio, quod consistit in eo (secundum communem Theologorum usum) quod fiat separatio matrimonij quoad thorum & cohabitationem, manente vinculo coniugali. Propter quas causas hæc separatio fieri possit, dicitur post. Hinc patet diuortium distingui à repudio ; quia in hoc sit etiam separatio quoad vinculum coniugale.

Nota, apud Iurisconsultos aliter accipi has voces: vacant enim repudium dimissionem, tum sponsæ, tum vxoris. Diuortium autem solius vxoris post matrimonium, dimissionem, siue quoad thorum, siue quoad vinculum, i.e. *inter stuprum. I. inter diuortium. ff. de verb. signif.* Vnde tam in iure canonico quam in ciuili, in titulo de diuortiis agitur de solutione matrimonij, siue quoad thorum tantum, siue etiam quoad vinculum.

3 Secunda Conclusio. Propter certas quasdam causas potest fieri diuortium quoad thorum & cohabitationem, manente tamen vinculo coniugali. Ita Tridentinum *sess. 24. can. 8.* Sunt autem tres potissimum causæ. *Prima* est: Si vterque coniunx ex mutuo consensu voleat post consummationem, perpetuam continentiam, & ad Religionem transeat. *Matth. 19. v. 29. Omnis qui reliquerit, &c. vel uxorem.* *Secunda* potest esse crimen alterius coniugis, idque triplex. *Primum* est adulterium, de quo Christus *Matth. 5. v. 33.* *Secundum* est hæresis, de quo Apostolus ad *Tit. 3. v. 10.* *Tertium*, si alter impellat alterum ad peccatum *Matth. 18. v. 19.* *Tertia* causa potest esse furor, aut sœnitia alterius coniugis; Itemque lepra, vel alius morbus contagiosus. Vide Valent. *q. 4. p. 2.*

4 Tertia Conclusio. Diuortium, quoad thorum tantum, potest fieri propria authoritate: at diuortium quoad habitationem, quia res est publica, & quæ potest alios scandalizare, non debet fieri nisi authoritate Ecclesiæ. *t. porro de diuortiis.*

5 Quarta Conclusio. Diuortium in causa adulterij, vel fornicationis potest quatuor de causis fieri illicitum. *Primo*, si fornicatio fuerit sine crimine, vt si mulier viri passa fuerit, aut ex ignorantia cum eo rem habuit, quem virum suum credebat, cum tamen esset alienus. *Secondo*, si vterque coniunx eodem crimine teneatur. *Tertio*, si post cognitum adulterium cum eo rem habuerit. *Quarto*, si author fuit coniugi, vt fornicaretur. Vide Dom. Sotum in *4. dist. 36. q. 1. ari. 1.*

6 Obiectio. Christus *Matth. 5. & 19.* expressè docet non licere dimittere vxorem, nisi ob fornicationem. Ergo ob alias causas non licet. Respondeo, Christus duplaci causa

causa excepit solam fornicationem, vel adulterium. *Prima*, quia sola fornicatio est propria ratio solutionis matrimonij; ceteræ autem communes sunt matrimonio cum aliis omnibus confœderationibus. Nam ob hæresin, vel inductionem ad peccatum non solum separari debet coniunctus à coniuge, sed etiam filius à patre, frater à fratre, & seruus à domino. Cùm ergo sola fornicatio directè opponatur fidei coniugali, & substantiæ ipsius matrimonij, cetera autem crimina per accidens se habeant ad matrimonium, ideo Christus de sola fornicatione locutus est. *Secunda*, quia Christus loquebatur de dimissione perpetua, non autem ad certum tempus. Nulla autem potest esse causa perpetui diuortij, nisi fornicatio. Nam ob cetera crimina non fit diuortium, nisi pro eo tempore, quo ipsa crimina durant. Et ratio patet ex dictis, quia fornicatio per se opponitur matrimonio, & ideo statim atque coniunctus frangit coniugi datam fidem, cadit à iure coniugij, nec amplius habet ullum ius in coniugem. Quod de aliis crimini bus dici non potest.

QVÆSTIO III.

De bono prolis.

1 *Prima Conclusio.* Matrimonium duplici nomine honestatur ex prole. *Primo*, quia proles per se magnum bonum quoddam est, cum illius procreatio conseruet & augeat societatem humanam. *Secondo*, quia filii ex vero matrimonio suscepti censentur esse legitimi, id est, idonei ad publicas dignitates & officia in republ. Qui autem extra matrimonium procreantur, illegitimi sunt, & inhabiles ad ea officia.

2 *Secunda Conclusio.* Filii legitimi sunt varij in iure. *Primo*, qui nati sunt ex legitimo matrimonio. *Secondo*, qui ex matrimonio bona fide in facie Ecclesiæ contracti nati sunt, licet reuera ob aliquod impedimentum non fuerit legitimum illud matrimonium, quia potest ignorari.

Dixi in facie Ecclesiæ, quia si clandestinè contractum fuerit, filii sunt illegitimi, c. cum in habitu de clandest. desp.

Nota : Sufficit ut alter tantum coniugum bona fide coram facie Ecclesiae contraxerit , si enim vterque mala fide contraxisset,filij essent illegitimi, *cap. citato. Tertio*, qui nati sunt ex parentibus infidelibus, & post ad fidem conuerteris , etiamsi fuerint coniuncti in gradu canonica lege prohibito, *cap. gaudemus. de clandest. despans.*

Nota : Si filij nati sint ex secunda vxore , verbi gratia, alicuius Iudæi , qui primam vxorem repudiasset , non esse legitimos , etiam si Iudæus conuertatur cum vxore , quia secundum illud matrimonium non fuit verum & legitimum. *Quarto* , qui ex concubina Patris ante legitimum matrimonium nati fuerunt , Patre concubinam in vxorem postea ducente ; modò illam in vxorem postea ducere potuerit tempore cōceptionis,vel nativitatis filiorum, *c.tanta vix, ibid. Quinto*, si mulier iudicio Ecclesiae separata à primo viro , viuente illo contrahat cum alio , legitimi sunt filij ex illo secundo viro suscepiti, *c.per latum. Sexto*, si fueritis de iustitia matrimonij, filij, qui lite pendente nascuntur, censentur legitimi. Idem dico post latam sententiam, facta tamen legitima appellatione. Ratio , quia Ecclesia in tali casu permittit coniuges simul habitare. *Æquum ergo est ut filij censeantur legitimi. Septimo* legitimi sunt, qui tales esse probantur legitimo aliorum testimonio , licet fama vicinæ & tractatus parentum clament contrarium. *c.per tuas literas.*

3 Tertia Conclusio. Filij illegitimi sunt triplices , nempe naturales, nothi, & spuri, seu manseres. Difficile autem est assignare quomodo hæc differant inter se. In iure quidem ciuili dicuntur naturales , qui ex concubina domi habita nati sunt : nothi, qui ex scorto : Spuri , qui ex parentibus inter quos matrimonium esse non poterat. In iure autem canonico naturales non distinguuntur à nothis , & sunt omnes illi qui non sunt nati ex coitu legibus damnato: Spuri verò , qui nati sunt ex parentibus , inter quos non poterat esse matrimonium, ut sunt, qui nascuntur ex incestu, vel adulterio, vel sacrilegio.

CAPVT XLIX.

DE IMPEDIMENTIS
MATRIMONII IN GENERE.

DIVPLICIA sunt impedimenta Matrimonij; quædam impediunt & dirimunt: quædam impediunt tantum. Priora sunt quatuordecim; quorum duodecim continentur hisce versibus:

*Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis Affinis, si forte coire nequibus.
Hac socianda vetant connubia, facta retractant.*

Duo alia addit Concilium Trident. *Prima*, clandestini matrimonij impedimentum. *Secundo*, inter raptorem & raptam, quamdiu illa est in potestate raptoris. *Poterimus* generis impedimenta sunt tantum duo, continenturque his versibus:

*Ecclesiae vetitum, nec non tempus feriatum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

De his autem omnibus generatione queritur: *Primo*, an Pontifex possit statuere impedimenta matrimonij, præfertim dirimentia. *Secundo*, an Princeps sæcularis apud infideles id possit. *Tertio*, an etiam Princeps sæcularis apud Christianos.

QVÆSTIO I.

An Pontifex possit statuere impedimenta matrimonium dirimentia?

QVædam dirimunt, seu irritant matrimonium iure naturali, quædam iure diuino, quædam iure humano tantum. Est ergo quæstio de hoc tertio genere impedimentorum. Et ratio dubia est, quia Pontifex non potest mutare materiam sacramentorum à Christo institutam. Ergo non potest efficere, ut persona, quæ iure diuino

habilis ad sacramentum matrimonij, fiat inhabilis. Atqui persona verbi gratia, clandestinè contrahens, vel consanguinea, habilis est iure diuino ad sacramentum matrimonij. Ergo Pontifex non potest reddere inhabilem. Ergo non potest irritare clandestinum matrimonium Confir. a simili, quia non potest facere, vt aqua naturalis, quæ diuino iure est materia Baptisni, sit inhabilis ad Baptismum, vel vt panis qui iure diuino est materia Eucharistie, sit inhabilis ad Eucharistiam. Ergo nec potest facere, vt persona libera, quæ antea iure diuino erat materia matrimonij, sit inhabilis ad matrimonium. At hoc conatur facere in matrimonio clandestino, & in quibusdam gradibus consanguinitatis. Ergo malè fecit. Propter hoc argumentum multi Episcopi atque Theologi, qui fuerunt in Conc. Trid. antequam res definiretur, putarunt Ecclesiam non posse irritare, vel dirimere clandestina matrimonia. Et D. Sot. in 4. dist. 28. q. 1. a. 1. ad 1. nihil audet definire, sed relinquunt iudicio Ecclesiæ definiendum.

2 Prima Conclusio : Ecclesia vel Pontifex potest statuere impedimenta matrimonium dirimentia, ita vt matrimonium sit irritum si cum tali impedimento contrahatur. Ita Trident. sess. 24. can. 3. & 4. Ratio est, quia matrimonium dupliciter spectatur. Primo vt contractus ciuilis. Secundo vt est sacramentum. Quamuis ergo Pontifex non possit mutare materiam, vel formam matrimonij, quatenus sacramentum est, potest tamen statuere, vt contractus ciuilis sit irritus, nisi fiat tali vel tali modo. Sicut enim aliqui contractus ciuiiles subiecti sunt potestati & legibus Principum. Ita etiam contractus matrimonij. Quando ergo Pontifex facit aliquam personam inhabilem ad matrimonium, nihil mutat circa essentiam sacramenti; sed tantum mutat aliquid circa contractum qui sacramento præsupponitur.

Quæres : an Pontifex hoc possit facere non solum in matrimonio Christianorum, sed etiam infidelium. Affirmat Vvильhelmus Rubion in 4. d. 40. q. 2. Sed non recte, quia Pontifex est tantum caput Ecclesiæ, non autem eorum, qui sunt extra Ecclesiam, vt fatetur Innocentius III. c. Gaudemus. de diuortio. Et probat 1. Cor. 5. v. 12. *Quid enim mibi*

mibi de iis qui foris sunt iudicare? Nota tamen Pontificem dupliciter spectari posse. *Primo*, vt est Pontifex, seu caput Ecclesie, & sic non habet iurisdictionem in eos, qui sunt extra Ecclesiam, & consequenter non potest eorum contractus ciuiles rescindere, vel impedire. *Secundo*, vt est Princeps temporalis; & sic potest statuere impedimenta dirimentia contractum matrimonialem apud infideles, qui habitant in iis locis quæ Pontifici tanquam temporali Domino subiecta sunt.

2 Secunda Conclusio. Ut Pontifex statuat huiusmodi impedimenta, requiritur iusta causa ob quam id faciat. Ratio, quia potestas Pontificis non est data ad dissipandum, sed ad ædificandum. Ergo non debet irritare vel impedire ea matrimonia, quæ iure naturali & diuino concessa sunt, nisi legitima causa subsit. Et, vt bene Ruard. a. 20. *Louan.* ait, maior exigitur causa ad dirimendum, quam ad simpliciter prohibendum matrimonium. Et sœpe potest esse iusta causa prohibendi, non autem dirimendi; quia dirimere grauius est, quam simpliciter prohibere.

4 Quæres primo. Si Pontifex sine iusta causa statuat aliquid impedimentum, an validè id faciat, ita ut sit peccatum cum eo impedimento contrahere, si solùm impediens sit; & præterea matrimonium sit irritum, si etiam dirimens sit? Aliqui affirmant; quia quamuis in tali casu deficit illi legitima causa hoc faciendi, non tamen deest potestas & iurisdictione. Ergo tametsi faciendo peccet, tamen factum tenet. Alij rectius docent ad valorem facti, seu prohibitionis requiri iustum causam; ac proinde si non adsit iusta causa, matrimonium contra talem prohibitionem contractum fore validum & licitum. Ratio, quia in iis, quæ iure naturali & diuino licita & valida sunt, non potest Pontifex quicquam mutare pro solo suo arbitratu, sed requiritur legitima causa ob quam aliquid mutandum sit. Aliter verò res habet in iis, quæ iure naturali ac diuino libera sunt & indifferencia.

5 Quæres secundo: An sicut Pontifex potest generalem legem statuere, qua matrimonium ex iusta causa irritet inter certum genus personarum; ita possit aliquos priuatos prohibere, ne matrimonium inter se ineant; adeo ut

938 CAP. XLIX. DE SACRAMENTIS
matrimonium contra talem prohibitionem contractum
sit planè irritum; præsertim si habeat iustum causam pro-
hibendi, cuiusmodi potest esse magna disparitas inter
contrahentes, vel periculum magnarum discordiarum?
Henriquez lib. 12. cap. 2. dicit Pontificem nunquam id se-
cisse, nec expedire ut faciat: an autem possit id facere, non
definit. Similia habet Nauarrus lib. 4. Consilior. tit. de Spon-
salibus, Consil. 24. iuxta primam editionem. Probabile ta-
men est, eum id posse. Si enim potest ex iusta causa red-
dere irritum matrimonium inter omnes personas certi ge-
neris, ut inter omnes consanguineos usque ad quartum
gradum, cur non posset inter duas priuatas personas, sub-
sistente legitima causa?

6 Quæres tertio: An etiam possit subsistente causa per-
sonam aliquam reddere perpetuò inhabilem ad matrimo-
nium, quæ alioqui iure naturali, & diuino habilis est? Hic
casus multum differt à præcedenti. Nam in illo non fa-
ceret personas simpliciter inhabiles, sed tantum respectu
quorundam hominum, ac proinde non cogeret illas ad
perpetuum cœlibatum. Hoc autem faceret in hoc casu.
Hæc quæstio disputata fuit sub Urbano quinto, qui ad ma-
trimonium contrahendum dicitur inhabilem reddidisse
Barnabonem Vice Comitem Mediolanensem, & eius filios,
eo quod Ecclesiæ rebelles essent. Id autem rectè factum
docent Alexander de Næuo capite, tuas. de sponsa duorum.
Et Calderinus ibid. Et ratio est, quia licet ius naturæ con-
cedat vnicuique matrimonium, potest tamen Pontifex in
pœnam alicuius delicti priuare aliquem hoc iure, red-
dendo ipsum inhabilem. Confirmatur primo, quia sicut
potest illum priuare vita in pœnam peccati, aut in fer-
mitatem redigere: Sic potest illi eripere libertatem con-
trahendi matrimonium. Secundo, quia quibusdam Canonis-
bus cautum est, ne incestuosí contrahant nouum matri-
monium. Ergo & caueri potest ne validè contrahant matri-
monium.

7 Tertia Conclusio. Si solùm ius diuinum & naturale
spectemus, sicut Pontifex in tota Ecclesia, ita Episcopus
potest in sua dioecesi statuere impedimenta matrimonium
dirimentia. Generatim enim loquendo, quidquid potest
Pontifex

Pontifex in tota Ecclesia quoad externam iurisdictionem, potest Episcopus in sua dioecesi, nisi Pontifex sibi referuet. Nunc autem referuauit sibi hoc Pontifex in matrimonio, vt plerique docent; tametsi nullo iure expressum sit, verisimile est generali Ecclesiæ consuetudine haberi hanc reservationem.

Q V A E S T I O I I.

An Princeps infidelis possit statuere impedimenta matrimonium dirimentia.

IDicam primo de Gentilibus. secundo de Iudeis. Gentiles vel respectu subditorum infideliū, vel fideiliū spectantur.

2 Prima Conclusio. Princeps infidelis potest in suo regno, aut statu respectu subditorum infideliū statuere huiusmodi impedimenta. Est communis, & fundatur in duobus principiis, quod scilicet matrimonium infideliū sit tantum contractus ciuilis; & quod Princeps possit ea omnia praestare, quæ spectant ad commune bonum, & tranquillitatem reip. Sicut ergo potest ex iusta causa, quando bonum reip. exigit, irritare alios contractus ciuiles, sic etiam contractum matrimoniale. Hoc sensu D. Thom. in 4. dist. 34. quest. 1. art. 1. ad 4. Et lib. contra gentes 4. cap. 78. dicit matrimonium subiacere potestati ciuili. Loquitur enim de matrimonio ut contractu ciuili.

Hinc sequitur, si infideles contraxissent matrimonium cum aliquo impedimento secundum eorum leges dirimente, & postea ad fidem conuerterentur; quod deberent iterum contrahere si vellent in coniugio perseverare, quia prior contractus fuit inualidus.

3 Secunda Conclusio. Princeps infidelis non solùm respectu subditorum infideliū, sed etiam fideiliū potest talia impedimenta statuere. Nam, licet matrimonium fideiliū sit sacramentum, non tamen potest esse sacramentum nisi supponatur esse legitimus contractus ciuilis. At non est talis contractus nisi esset celebratus secundum leges ciuiles, præsertim si iustæ sint. Hinc sequitur, sicut Christiani habitantes sub potestate Principum infideliū tenentur seruare

940 CAP. XLIX. DE SACRAMENTIS
seruare alias leges ciuiles, quæ ad pacem reip. pertinent;
ita etiam legem irritantem certa matrimonia, modò non
sit iniusta.

4 Tertia Conclusio. Iudei tamen non possunt talia impe-
dimenta statuere. Ita passim Theologi. Nam nec habent
liberam remp. nec proprium & legitimum Principem: nec
possunt uti legibus Mosaycis, quæ ad matrimoniales cau-
fas spectant, quia omnes leges ceremoniales expirarunt
per mortem Christi. Hinc sequitur matrimonium, quod
sola lege Mosaica prohibitum est, fuisse quidem irritum
durante illa lege, nunc tamen esse ratum, quia expirauit il-
la prohibitio.

Queres: Quid si Iudei ante Christi mortem, cum adhuc
liberam remp. habebant, statuissent aliquod impedimen-
tum dirimens matrimonium, an illud possit adhuc vim ha-
bere? Resp. quod sic. Solæ enim leges Mosaycæ, non autem
seculares sunt per Christum abrogatae.

Q V A E S T I O III.

*An Princeps Christianus possit eiusmodi impedi-
menta statuere?*

1 Negat Gloff. finalis cap. si quis ingenuus. 29. q. 2. & mul-
ti Canonistæ. Ratio, quia matrimonium Christianorum
est sacramentum, ac proinde spectat ad potestatem
Ecclesiasticam, non autem ad secularem. Hinc iure Cano-
nico definitum est causas matrimoniales ad solius Ecclesiarum
pertinere.

2 Prima Conclusio. Potest Princeps Christianus, si præci-
sè huius potestas spectetur, statuere talia impedimenta re-
spectu suorum subditorum. Ita D. Thomas in 4. d. 34. q. 1.
a. 1. ad 4. Tapperus a. 20. Louan. Bell. l. de Matrimonio. c. 32.
circa finem, & multi alij. Ratio est, quia non minorem ha-
bet potestatem, quam Princeps infidelis. Si ergo hic po-
test statuere impedimenta circa matrimonium, potest &
ille. Nec obstat, quod matrimonium Christianorum sit sa-
cramentum, quia impedimenta non statuuntur circa ma-
trimonium, vt sacramentum est, sed solum, vt contractus
ciuilis est.

3 Secunda Conclusio : Hæc tamen potestas impediri potest à Pontifice, & re ipsa impedita est, quia Pontifex reservauit sibi causas matrimoniales. Prius patet, quia potestas secularis est subiecta Ecclesiastica. Ergo ab hac potest impediti. Posterior pater, quia multæ leges ciuiles, quæ in quibusdam casibus prohibebant matrimonium, per ius Canonicum correctæ sunt. Huc spectat, quod antè dixi ex Canonico iure, causas matrimoniales ad solius Ecclesiæ iudicium pertinere.

4 Tertia Conclusio : Tametsi potestas Principum Christianorum impedita sit in causis matrimonialibus respectu subditorum fidelium; non tamen respectu infidelium. Pontifex enim ideo reservauit sibi hoc ius respectu fidelium; quia horum matrimonium est sacramentum; at infidelium matrimonium non est sacramentum. Hæc generatim, nunc de singulis impedimentis agam.

I. De Errore.

IN matrimonio quadrupliciter potest contingere error. *Primo*, circa personam. *Secundo*, circa statum eius seruienti. *Tertio*, circa qualitatem personæ. *Quarto*, circa diuitias. *Primus* & *secundus* est impedimentum dirimens matrimonium iure naturali, quia iure naturali requiritur ad matrimonium consensus voluntarius qui impeditur per talem errorem. Reliqui duo errores non impediunt matrimonium.

II. De Conditione.

Hæc conditio impediens ac dirimens matrimonium est duplex. *Prima* est conditio seruialis alteri ignota, de qua antè dixi, quia non differt ab errore circa seruilem statum personæ. *Secunda* est conditio apposita de futuro, ex qua contractus pendeat. Vtraque impedit contractum matrimoniale iure naturali. De *priori* patuit. De *posteriori* patet, quia natura contractus requirit, ut sit de præsenti, & non pendeat ex euentu futuro; alioqui erit tantum promissio ipsius contractus.

III. De Voto.

1 *Triplex* potest esse votum. *Primo*, simplex. *Secundo*, solenne sacris & maioribus Ordinibus. *Tertio*, solenne in Religione approbata emissum;

2 Prima

2 Prima Conclusio : Votum simplex castitatis impedit matrimonium contrahendum , sed non dirimit contra-
etum , nisi in uno casu , nempe si quis in nostra Societate
emittat simplex votum obedientiae, paupertatis, & casti-
tatis ; vt patet ex peculiari constitutione Gregor. IIII. quæ
incipit, *Ascendite Domino.* Ibi enim reddit inhabiles ad ma-
trimonium validè contrahendum eos omnes qui in nostra
Societate tria vota simplicia emiserunt.

3 Secunda Conclusio . Votum solenne sacris Ordinibus
annexum impedit & dirimit matrimonium, *capite uno. de
voto in 6.* Impedit autem iure tantum Ecclesiastico ; non
autem Diuino , aut naturali , vt dicetur in impedimento
Ordinis.

4 Tertia Conclusio : Votum solenne in Religione appro-
bata emissum impedit , & dirimit matrimonium iure Ec-
clesiastico, *cap. consuluit.* Et c. insinuante. qui cler. vount.

Dixi : In Religione approbata, quia sic habetur *cap. uni-
co. de voto in 6.* Vnde notat Syluester *v. Matrimonium.* 8.
num. 5. non sufficere vt votum solenne fiat in tertio Ordi-
ne D. Francisci vel Dominici , eo quod talis Ordo non sit
propriè Religio approbata , sed certus quidam viuen-
di Ordo sub certa regula ; sicut nunc est Sodalitas B. Vir-
ginis.

5 Quarta Conclusio : Qui impediti sunt talibus votis, si-
ue solennibus , siue simplicibus nostræ Societatis , & præ-
sumunt contrahere matrimonium , non solum illicite &
inualidè contrahunt, sed etiam de facto incurrint excom-
municationem ; vt de votis solennibus , *clement. vnica. de
consang. & affin.* de votis simplicibus *ex constitutione Gre-
gorij IIII.*

I V. De Cognitione.

1 **T**riplex est cognatio. *Prima* , naturalis , quæ dicitur
consanguinitas. *Secunda* , spiritualis , quæ oritur ex
baptismo & confirmatione. *Tertia* legalis , quæ ex filiorum
adoptione nascitur.

2 Prima Conclusio : Consanguinitas reddit inualidum
matrimonium usque ad quartum gradum inclusiū, *cap. non
debet. de consang. & affin.* Ut autem sciatur quanto gradu
consan-

consanguinitatis vna persona distet ab alia, tres regulæ notandæ sunt.

Prima : In linea recta, quæ est ascendentium & descendantium tot gradus numerandi sunt, quot numerantur personæ, excepta prima. Itaque filius est in primo gradu consanguineus patri; nepos in secundo, pronepos in tertio, &c.

Secunda : In linea transuersali, quando vtraque persona æqualiter distat ab eodem stipite communis, totidem gradibus distant inter se, quot distant à stipite. Vnde fratres, qui à patre æqualiter distant, sunt inter se consanguinei in primo gradu, quia quilibet eorum est consanguineus patri in primo gradu. Similiter filii duorum fratrum sunt consanguinei in secundo gradu ob similem causam.

Tertia regula : In linea transuersa, quando vtraque persona distat inæqualiter à communi stipite, quot gradibus distat persona remotior à communi stipite, totidem & distat ab altera. Vnde filius fratri distat à suo patruo in secundo gradu. Hæ tres regulæ valent in iure Canonico, & seruantur in causis matrimonialibus.

3 Secunda Conclusio : Cognatio spiritualis, quæ contrahitur in Baptismo & Confirmatione impedit & dirimit matrimonium. Est autem ea triplex. *Prima* dicitur paternitas, quæ contrahitur inter baptizantem & baptizatum, inter confirmantem & confirmatum; & similiter inter patrimum baptizati, vel confirmati & baptizatum, vel confirmatum. *Secunda* dicitur compaternitas, quæ contrahit baptizans, aut confirmans, aut patrinus cum naturalibus parentibus baptizati, aut confirmati. *Tertia* dicitur fraternitas, quæ est inter baptizatum, vel confirmatum, & filios naturales baptizantis, vel confirmantis & patrinorum.

Nota : Fraternitatem à Concilio Tridentino sublatam esse omnino è numero impedimentorum, & ex parte etiam compaternitatem, nempe, baptizantem & confirmantem & patrinos, relicta ea compaternitate, quæ est inter parentes & patrinos, & inter eosdem parentes & baptizantes, vel confirmantes. Vide *eff. 24. cap. 2.*

4 Tertia Conclusio : Cognatio legalis, quæ oritur ex adoptio

adoptione alicuius in filium, impedit & dirimit matrimonium, vsque ad gradum quartum, sicut cognatio naturalis. Estque etiam triplex. *Prima*, inter ascendentēs & descendētes. *Secunda*, in linea transuersali inter adoptatū, & filios naturales adoptantis. *Tertia*, per modum cuiusdam affinitatis legalis, nempe inter adoptantem & vxorem adoptati; vel econtrario inter adoptatū & vxorem adoptantis. *Prima* & *secunda* semper impedit, etiam sublata adoptione, vel emancipato filio adoptiō. *Secunda* solū impedit quamdiu durat ipsa adoptio, & quamdiu filij naturales sunt in patria potestate. Omitto disputationes ex Leuitico.

V. De Crimine.

SVNT duo Crimina, homicidium & adulterium, quae iure Ecclesiastico impediunt & dirimunt matrimonium in quatuor casibus. *Primus*, quando vir & fœmina communī consensu machinantur mortem alteri coniugum, vt se multo recipiant in matrimonium. *c. laudabilem. de conuersione infidelium.* *Secundus*, quando adulter procura mortem coniugis suæ, vel mariti adulteræ, vt cum adultera coniugium celebrare possit: vel contrā, quando adultera procurat mortem viri sui, vel vxoris adulteri, vt cum adultero matrimonium inire possit. *c. semper hoc, de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.* *Tertius*, si adulteri dederint sibi inuicem fidem de matrimonio inter se contrahendo post mortem vxoris adulteri, vel mariti adulteræ. Nam, qui ita fidem sibi dederunt, videntur omnino mortem alterius coniugum procuraturi. *cap. Relatum. 31. quæst. 1. Quartus*, si de facto adulteri inter se contraxerint viuentibus prioribus coniugibus. *cap. finali. de eo, qui in matrimonium duxit, &c.* Hi duo posteriores casus intelliguntur, quando uterque adulter est conscius vitæ coniugis alterius. Si enim vir adulteram decipiāt, affirmans coniugem suam esse mortuam, vel contrā, si mulier adulterum decipiāt, affirmans virum suum esse mortuum, tunc Matrimonium non est irritum. *c. propositum. de eo qui, &c.*

Nota: In primo casu est crimen homicidij sine adulterio: in reliquis adulterium præcedit, & homicidium subsequitur.

Obiectio : Dauid commisit adultere iu n cum Bethsabea, & post interfecto huius viro duxit illam in vxorem. Ergo adulterium & homicidium in tali casu non faciunt irritum matrimonium. Respondeo. Non faciunt irritum iure naturali aut Diuino, sed tantum Ecclesiastico. Hoc autem iure non tenebatur Dauid.

V I. 'De Disparitate cultus.'

HÆc disparitas reperitur inter fideles & infideles. Sunt autem duplices infideles: alij baptizati, vt sunt Hæretici, ali, non baptizati, vt sunt reliqui. Hoc polito tria certa sunt apud Catholicos. *Primo*, matrimonia fidelium cum infidelibus siue baptizatis, siue non baptizatis esse illicita. *Secundo*, matrimonia fidelium cum infidelibus non baptizatis non solum esse illicita, sed etiam irrita. *Tertio*, matrimonia fidelium cum hæreticis baptizatis esse quidem illicita, non tamen irrita.

Dices: Hæc non videntur esse certa. *Primo*, quia D. Augustinus dubitauit, an matrimonia fidelium cum infidelibus essent illicita, vt patet ex *l.1.de adulterinis coniugis, c.21. & 25.* Et ex *l.de fide & operibus, c.19.* vbi dicit, se non inuenire clarum testimonium in nouo Testamento, quo eiusmodi matrimonia prohibeantur. *Secundo*, quia S. Monica mater D. Augustini habuit virum infidelem. *Tertio*, quia *1. Corinth.7.* D. Paulus permittit, coniugem fidelem manere cum infideli, si velit.

Respondeo *primo*, matrimonium inter fidelem & infidelem non est irritum iure naturali, aut Diuino, aut Ecclesiastico scripto; sed tantum ex consuetudine populi Christiani vim legis obtainente. Hæc autem consuetudo non fuit tempore D. Augustin. quia tunc passim contrahebant fideles cum gentilibus; neque putabatur hoc esse peccatum, test: eod. *l.de fide & opere, c.19.* Itaque S. Monica ob ignorantiam potuit excusari à peccato.

Respondeo *secundo*. Tametsi Diuus Augustinus dubitauit, an in nouo Testamento extaret clarum testimonium prohibens eiusmodi Matrimonia; non tamen dubitauit, quin Cyprianus & alij viri docti docerent esse prohibita. Nam *l.1.de adulter. coniugis, cap. 21.* ponit hæc verba

946 CAP. XLIX. DE SACRAMENTIS
ex sententia Pollentij. Hoc est Domini præceptum tam in
veteri, quam in nouo Testamento, ut non nisi vnius Religionis, & fidei coniugia sibi maneant copulata. Et cap. 25.
ait: *Quamvis Beatus Cyprianus non dubitet, nec in leuis
peccatis constituit iungere cum infidelibus vinculum matrimo-
ny, atque id esse dicat prostituere gentilibus membra Christi.* Si-
milia habet in l. de fid. & op. c. 19. Et tandem ita concludit:
*Omnino conandum est ne stant tales coniunctiones: Quid enim
opus est, in tantum discrimen ambiguitatis caput immittere?*

Respond. Tertio, S. Paulus solùm permittit virum fidelem
manere cum vxore infideli (& econtrà) si ante conuer-
sionem contractum sit matrimonium; non autem permit-
tit, ut vir, qui iam fidelis est, de nouo contrahat cum infi-
deli. Posset tamen illi dispensare Pontifex.

VII. De VI.

VI impedit ac dirimit matrimonium, quatenus ab-
stat legitimo consensu qui ad matrimonium requiri-
tur. Vnde si per vim & metum extorqueantur sola exter-
na verba sine interiori consensu; tunc iure naturæ nullum
est matrimonium. Si autem per vim & metum extorquea-
tur etiam interior consensus, tunc distingo. Si metus sit
leuis, qui non cadit in constantem virum, non impedit
matrimonium. Si autem sit grauis, impedit & dirimit iure
Ecclesiastico, ut dixi supra quæst. 2. Solet hic disputari de
matrimonio inter eos, quamdiu rapta in pristinam liber-
tatem non restituitur; ac in loco ruto collocatur, in quo si
liberè postea in raptorem consenserit, poterit raptor eam
in vxorem ducere. Nihilominus raptor, & omnes illi con-
silium, auxilium, & fauorem præbentes sunt ipso iure ex-
communicati, & perpetuò infames, omniumque dignita-
tum incapaces. Et si fuerint Clerici, de proprio gradu sunt
deponendi. Raptor autem siue raptam ducat in vxorem,
siue non, ad arbitrium iudicis tenetur raptæ dotem decen-
iem assignare, sess. 24. cap. 6.

VIII. De Ordine.

Maiores Ordines ob annexum solemne votum ca-
stitatis impediunt, & dirimunt matrimonium iure
tantum

tantum Ecclesiastico, non autem Diuino. Ut enim alibi dixi, coelibatus iure tantum Ecclesiastico sacris Ordinibus annexus est. Et probatur, quia Ecclesia Romana concessit Græcis Sacerdotibus usum matrimonij ante ordinacionem contracti, cap. cum olim, de Clericis coniugatis. Hoc autem non fecisset si coelibatus Diuino iure annexus esset Sacerdotio.

IX. De Ligamine.

Ligamen significat vinculum prioris matrimonij, quo durante iure Diuino inualidum est secundum matrimonium, cap. licet de sponsa duorum. Vnde si quis ex secundo matrimonio suscepisset prolem, teneretur tamen ad priorem redire, si adhuc viueret. Hic solet disputari, an mulier ob diuturnam absentiam mariti possit cum alio contrahere? Respond. non potest nisi habeat certitudinem moralem de morte absentis mariti, cap. dominus, de secundis nuptiis. Certitudo autem moralis communiter non habetur, nisi per nuntium fide dignum, c. in praesentia, de sponsal. Vel nisi sint tanta mortis indicia, ut certo nuntio æquiualeant. Neque vero sufficit fama & rumor, siue ex distante, siue ex propinquo loco, nisi ea sit multorum ac diuturna.

X. De Honestate.

Iustitia publicæ honestatis nihil aliud est, quam propinquitas quedam orta ex sponsalibus de futuro validis, vel ex matrimonio rato. Dicitur autem Iustitia, quia decens & æquum est, ut v. g. frater non contrahat matrimonium cum ea quæ fuit sponsa prioris fratris iam demortui. Hoc impedimentum ante Concilium Tridentinum extendebatur usque ad quartum gradum, sicut extenditur affinitas, cap. unico, de sponsalibus. Post Concilium non extenditur ultra primum gradum in sponsalibus de futuro, Sess. 24. cap. 3. Vnde si quis de futuro contraheret cum aliqua, ea mortua, non posset cum eius matre, vel sorore contrahere, quia sunt in primo gradu; in cæteris autem gradibus posset. Quando autem impedimentum oritur ex rato matrimonio, extenditur ad gradum quartum, sicut

X I. *De Affinitate.*

